DE SPECULATIVA
HISTORIÆ SACRÆ
TRACTANDÆ METHODO

COMMENTATIO

QVAM AD GRADUM LICENTIATI THEOLOGIÆ INTER
SOLENNIA PUBLICA QUUM SACRO RITU
INAUGURARENTUR

REX AUGUSTISSIMUS

CHRISTIANUS OCTAVUS

ET REGINA AUGUSTISSIMA

CAROLINA AMALIA

RITE CAPESSENDUM

RESPONDENTE

Ornatissimo *LAUR. GUIL. PETERSEN*
THEOL. STUD.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJECIT

ERASMUS NIELSEN
THEOL. CAND.

DIE XXII JUNII H. L. Q. S.

HAVNIÆ.

TYPIS EXCUDEBAT *FABRITIUS DE TENGNAGEL.*

MDCCCXL.

Dissertationem hanc inauguralem dignam censet Ordo Theologorum, quæ pro gradu Licentiati Theologiæ rite impetrando publicæ disquisitioni subjiciatur.

Hauniæ, d. V Junii MDCCCXL.

Dr. *H. N.* Clausen,
h. a. Ord. Theol. Decan.

VIRO CLARISSIMO OPTIMO

FRIDERICO HASSELBALCHIO

RECTORI SCHOLÆ VIBURGENSIS

cujus paterna erga me, ejus olim discipulum, beneficia semper pio animo recolo,

ITEM

VIRO DOCTISSIMO ORNATISSIMO

ALBERTO WESENBERGIO

EJUSDEM SCHOLÆ ADJUNCTO

quo ut præclarissimo et optimo magistro usus sum, ita etiamnunc æstumatissimo et carissimo utor amico,

has qualescunque studiorum primitias

sacras esse

volui.

Conspectus Argumenti.

Pars Ima.

Relatio inter philosophiam et historiam in universum spectata.

		Pag.
§ 1.	Ratio inter τό a posteriori et τό a priori	1.
§ 2.	Fides subjectiva; logica speculativa.	5.
§ 3.	Empiria vulgaris.	10.
§ 4.	Transitus in empiriam speculativam.	16.
§ 5.	Ratio inter empiriam vulg. et specul.	23.
§ 6.	Notio scientiæ	28.
§ 7.	Methodus scientifica.	34.
§ 8.	Comprehensio et intuitio.	39.
§ 9.	Relativa est scientia nostra	44.
§ 10.	Ratio inter scientiam dogmaticam et historiam sacram.	48.

Pars IIda.

De historia sacra.

§ 11.	Catholicismus	49.
§ 12.	Contradictiones Catholic. fundamentales	52.
§ 13.	Transitus a Catholicism. in Protestantism. . . .	56.
§ 14.	Fides & Scriptura Sacra	58.
§ 15.	Symbola. Scholasticismus Lutheranus	67.
§ 16.	Continuatio. Transitus in Criticism.	78.
§ 17.	Rationalismus subject. Historiæ sacræ profanatio.	82.
§ 18.	Fides et intellectus in theol. critica.	91.
§ 19.	Exploratio theologiæ criticæ.	99.
§ 20.	Continuatio. Transitus in Panlogismum	113.
§ 21.	Metaphysica Panlogismi examinatio.	127.
§ 22.	Reditus in ecclesiam. Theologia specul. . . .	135.
§ 23.	Miraculum et historia sacra.	141.
—	Conclusio	151.

Pars Ima.

Relatio inter philosophiam et historiam in universum spectata

§ 1.

Tritum illud: „*medium tenuere beati*" non propinatoribus solum, sed etiam, si ad vulgarem conscientiam sui humanam, de historiæ et philosophiæ nexu disserentem, attenderis, litterarum studiosis etiam atque etiam commendatum audies. — Laudanda est, inqviunt, historia, nisi enim summo studio res ipsæ investigarentur, inanis esset omnis cogitatio et nebulosa, neque contemnenda est philosophia; historicus enim, ne doctrinæ thesaurus massa informis maneat et *rudis indigestaque moles*, logicis regulis adjuvari debet. Prudentis igitur est cavere, ne justo nimis in hanc vel illam partem declinetur; ne quæ ad τὸ apriori et quæ ad τὸ aposteriori pertineant, confundantur.

Hæc autem amica et familiaris sobrietatis et mediocritatis cohortatio, licet primo obtutu optima et tutissima esse videatur, quando ad rem ipsam explorandam transgredimur, vaga est atque incerta.

Ubi enim cogitatio ad empiriam accommodanda est, et vice versa empiria cogitationis ope corrigenda, absoluta

veritatis exploratio desideratur; quæritur judex utriusque causæ supremus.

Experientia autem, per se spectata, judicis supremi munus obtinere non potest, ut enim demonstraret, penes se esse veritatis judicium, rationibus afferendis hoc ei comprobandum erat, atque ita, cum provinciam judicandi affectaret, eandem amitteret; cogitatio autem, si vel semetipsam judicandi provincia abdicaret, abdicando eandem susciperet; quare cogitationis est judicium absolutum, ut ex veritate ejus omnia pendeant.

Quid autem valeat cogitatio nostra quærere, quid aliud est quam, quomodo exoriatur cogitatio, examinare? — Atque hac via in placita Sensualistarum et Idealistarum offendimus.

Sensualistæ cum statuant, omnia influxibus quibusdam extrinsecus oriundis deberi, mentemque humanam „*tabulam rasam*" esse, universales notiones per abstractionem exoriri docent; unde sequitur, umbram esse cogitationem, realitatem autem ipsam in elementis empiricis, extra nos positis, esse collocandam. Hi igitur sunt, qui τὸ a posteriori summis laudibus efferunt.

Cum vero ita subjectivitatis momentum negligant, in subjectivitatis potestatem incidunt; contendunt quidem, mentem humanam esse tabulam rasam, sed cum passivitas absoluta esse non possit, in affectiones subjectivas subjectivitatis propriæ momentum influat, necesse est. Ita ab affectionibus specialibus ad universalitatem conclusio est; quod cum fieri non possit, quia experientiæ phænomena particularia sunt, abrogata universalium notionum absoluta auctoritate, ad opiniunculas subjectivas provocatur.

In eo igitur posita repugnantia est, quod ab hac parte subjectivitas tantillum valet, ut ab illa omnia valeat.

Si vero apparet, homines quotiescunque res objectivas apprehendere conentur, in opiniones subjectivas incidere, necessariæ tandem sunt hæ opiniones, si subjecti rationem habemus; stat igitur, notiones universales non ex empiria rerum objectivarum esse profectas, sed ad naturam subjectivitatis pertinere.

Quum vero phænomena omnia subjectivitatis ope percipiantur, et in formas notionum subjective necessariarum atque universalium revocentur, ad experientiam omnem pertinent notiones universales: ita ut oppositio inter subjectum et objectum non sit oppositio inter cogitationem et experientiam, quæ infinitis vicissitudinibus concurrunt, sed inter phænomena et objectivitatem puram atque absolutam, (ɔ: das Ding an sich).

Quærenti autem, quid sibi velit objectum purum, illucescet, existentiam ejus modo cogitatam esse.

Nulla enim objecti puri datur experientia, quippe cum experientia omnis notionibus subjectivis nitatur; nihil igitur de objecto puro constat, præter hoc unum, esse hujusmodi objectum. Cogito non solum cogitationes meas, sed cogito etiam, aliquid extra cogitationes meas situm esse; sic autem hoc *esse* non extra cogitationis subjectivæ fines, sed intra eos quærendum est.

Hac igitur ratione exculta est theoria Idealistarum, qui docent, totum mundum esse ab ipso *τῷ* Ego humano, licet inscio, constitutum, itaque prævalet illud a priori; Ego enim occultum est hoc *prius*.

Verum enim vero jam satis superque monstravit

scientia nostri temporis, Idealismum, ubi existentiæ objectivæ valedicat, realitatem in actione quærentem, in nihilismum incidere. Cum enim contendat, omnia objecta imaginationes esse et figmenta mentis humanæ, quærimus, quid tandem sit ipsum illud Ego; quod si enim ut realitas quieta consideratur, neque est imago inanis, cur non omnia reliqua objecta eodem loco habeantur, quæres; sin autem existentia τῦ Ego ad imaginationem refertur, conceditur, figmentum τῦ Ego esse τὸ Ego; atque adeo figmentum figmenti in infinitum evenit.

Quare cum Idealismus subjectivus cogitationis naturam satis consideraverit, ad essentiam objectivam non poterit non provocare; atque ita facile concedet, nisi esset aliquid, quod actionem impleret, actionem et imaginationem esse non potuisse.

Ego igitur humanum, cum sui juris esse maxime gestiat, in alienam incurrit potestatem, cumque majestatem divinam sibi vindicet, in abyssum inanitatis detruditur. Per hunc autem subjectivitatis lapsum salus paratur, et reconciliatio inter subjectum et objectum vera contingit.

Si enim Sensualismus demonstrat, ne momentum quidem aut punctum in vita mentis inesse, quin ad influxum realitatis objectivæ referri possit, et si Idealismus subjectivus efficaciam mentis humanæ continuam docet et vindicat: profecto inde sequitur, cogitationem et realitatem objectivam non ad regiones diversas pertinere, sed utrumque ejusdem esse naturæ, ut notissimo illi adagio: γνῶθι σεαυτὸν, satisfieri non possit, nisi per cognitionem phænomenorum objectivorum.

At forsitan objecerit aliquis, nos ita gravissimum illud

discrimen subjectivitatis propriæ et objectivitatis universalis tollere; sed hæc objectio ex abstracta atque externa rem considerandi ratione proficiscitur; ubi enim mundum externum respexerimus, quis negaverit, sua quemque subjectivitate esse præditum, sibique objecta circumcirca obvia atque opposita habere; sed a parte interna res considerari debet, ubi observandum est, cum momenta subjectiva et objectiva infinite concurrant, subjectivitatem omnem formationi objectivitatis deberi.

Objectivitatis natura in eo constat, ut ubique subjectivitates efformet, et subjectivitatis finis hic est, ut objectivitatem excolat. Ita quemadmodum omnia sunt a posteriori petenda, ita omnia quoque a priori; et quemadmodum omnia ad cogitationem ita etiam ad experientiam referenda sunt.

Atque hic non valet, quo magis excolatur empiria, eo magis restringi philosophiam, neque quo magis floreat philosophia, eo magis negligi posse empiriam.

Hinc autem sequitur, mediam viam in republica litterarum non esse laudandam, sed omnem mediocritatem esse vilitatem.

§ 2.

Aliud autem est agnoscere identitatem phænomenorum et cogitationum, empiriæ atque philosophiæ, aliud hujus identitatis momenta analysi scientificæ ita subjicere, ut eluceat identitas mediata, quovis modo perspecta atque comprehensa. Quæritur igitur, unde sit incipiendum.

In vita practica immediata objectorum circumcirca obviorum ad subjectivitatem individualem relatio plurimum

valet; sensibus et externis et internis omnia percipiuntur, et percepta defenduntur. Verum quisque prædicat, quod profitetur, quod immediata ejus ad veritatem relatio ita comparata est, eadem confitendi formula alius quoque utitur, longe alia prædicans.

Ita sibi invicem, manu in fidem bonam pectori admota, contradicunt.

Cur iis assensum præbeamus? Pendet veritas ex affirmatione subjectiva. Quare si fidem denegas, non veritatem solum in universum, sed personam etiam veritatem confitentis offendis. Fides hæc subjectiva uniuscujusque vitæ valetudinem et quasi medullam efficit, nec mutari potest nisi ingenio hominis prorsus mutato; quare, si eam ei eripis, vitam eripis.

Itaque quid mirum, si homines, suam quisque fidem defendentes, non solum disputant et contradicunt, sed etiam, quod vita ipsa satis superque testatur, acerrime belligerantes veluti pro aris et focis, rixantur et digladiantur.

Quæ autem flammas hujus belli incendit, fides subjectiva, habet ea etiam, quo restingvi possint. Nisi enim haberet, nullam contradictionem oriri potuisse liquet; ut enim homines dissentiant, necesse est aliquatenus consentiant, dissensus absolutus esse non potest; nisi enim intelligerent alter alterum, sibi quisque relinqueretur et solus secum confabularetur; ut enim disputetur, medium adsit, necesse est, in quo disputantes conveniant. Quid est autem illud medium, nisi cogitatio ipsa? Omnes igitur, fidem declarantes, cogitant; cogitare autem quid est aliud, nisi universalia in particularibus, unitatem in multitudine, identitatem in diversitate quærere atque detegere.

Quæ cum ita sint, in rixis his omnibus bono sis animo; in discordia semper concordia quædam remanet. Ubi ad summum contradictionis fastigium disputatio adscenderit, ubi affirmantis: „*hoc est verissimum*," objicientis: „*hoc est falsissimum*" audiveris, nolito tamen, ajunt Logici, de pace inter fervidos animos reconcilianda desperare. Facili subtractione hoc fieri potest: demas modo prædicata controversa: *verissimum* et *falsissimum*, restat solum: *hoc est*, et si promiseris, te multas inde consequentias, easdemque gravissimas, utrique esse allaturum, certantes, armis positis, rem disputatam *esse*, facile concedent.

Disputatio igitur, negatio, *σκέψις*, ubi pervenerit ad abstractissimum illud et nostro tempore tritissimum *τὸ esse*, cujus negatio affirmationem involvit, desinat necesse est. Hinc itaque absolutum veræ scientiæ initium quærendum est. Num tamen hac via strata, ɔ: notiones universales persequendo, ad vitæ plenitudinem, unde egressi sumus, rite detegendam perveniri possit, longe alia quæstio est.

Cum, qui in notione *τῦ* esse inest stimulus progrediendi dialecticus, ab Hegelio detectus esset, ut non amplius, sicut Eleatæ olim, *τὸ ἓν τὸ πᾶν* assidue clamitantes, in tautologia universalitatis persistere cogerentur Logici, multi, horam jam venisse, credebant; disputabant ita de mira ejus notionis paupertate, cum præceptis opinionibus in abyssum abstractionis detrusis, simplicissima appareret, deque eximia ejusdem opulentia, cum omnes sapientiæ thesauri in ea inclusi tenerentur; in ejus gremio latere cum præsentia tum futura et Deum et mundum volebant; quid multa? hoc *esse* tanquam verum uni-

versutiatis ovum commendabant, quod ubi excubuisset et exclusisset philosophus vere speculativus, vera rerum facies statim proditura esset. — Atque hoc sidere natus est Mysticismus logicus, qui, ut verum Mysticismum decet, vitæ nuntium remisit.

Contradictio autem esse videtur, si contendimus, initium absolutum in notione τῦ *esse* collocari debere, et simul negamus, per analysin notionum logicarum ad realitates ipsas perveniri posse, si enim ad scopum hac via non pertingimus, aliud initium alio loco faciendum est, ita ut non semel, sed bis aut sæpius incipiatur. Quare observandum est, quænam sit ratio notionum universalium ad res individuales. Si vulgarem hac de re opinionem persequeris, notiones logicæ pro inanibus formis habentur, quibus infusæ sint res solidæ, ita ut, si formæ demerentur, nuda et confusa rerum multitudo restaret, aut si res solidæ subtraherentur, notiones puræ, ut in systemate logico, ita quoque in mundo ipso, retis instar artificiose texti, appareret. Ea autem distinctio inter notiones universales et res individuales et vera et falsa est. Vera est distinctio, quatenus hoc tenetur, formam rei non esse rem ipsam, nec rem esse formam, formam enim esse rei ipsius negationem atque adeo definitionem, quis neget; universale, abstracte cogitatum, quomodo esse posset individuale; vi ipsius contradictionis hæc momenta se invicem excludunt. Falsissima autem est ejusmodi momentorum existentiæ separatio, quæ res et formas, nisi singulari voluntatis divinæ actu conjuncta essent, utrumque potuisse seorsim existere doceat. Quod si rem accuratius ponderaveris, facile intelliges.

Universalitatem abstractissimam puræ notioni τῷ esse jure nostro tribuimus, sed Logica docet, τὸ esse nec cogitari nec esse posse, nisi adsit aliquid, cujus prædicatum efficiat, ut *esse* sit, plus quam *esse* exstare debet. Itaque universale purum in duas partes dirimitur, alterius est ipsum τὸ esse purissimum, alterius autem est hoc *aliquid*, de quo *esse* prædicatur; si enim hæc duo confunduntur, *esse* fit idem atque esse, quod *esse* non potest. Sin autem hæc duo sibi opposita servantur, et alterum A, alterum *B* vocamus, inesse debet in *A*, quod in *B* non inest, i. e. universalitas, ut exsistat, momentum individualitatis postulat.

Universale in individualia semet ipsum diffundit. Ubi autem apparet, universale numquam adesse, nisi simul adsit individuale, de hoc individuali momento nihil aliud prædicatur, nisi esse idem ubicunque quaerendum, i. e. momentum individuale non individuali, sed universali modo percipitur. Desideratur itaque verum individuale, sed unde petatur, quæstio est.

Verum individuale est veluti punctum fixum atque immobile, quod, per se spectatum, ad notionem universalem referri non possit, sed hic! illic! sic! digito monstrari debeat. Momentum individuale est momentum positivum atque reale, quod vi ipsa stabilitur, et in empiriæ regno quærendum est. Quo percipiantur notiones ontologicæ, necessaria est impiria quædam, cum omnes ejusmodi notiones negatione rerum empiriæ subjectarum nitantur; quemadmodum ipsa rei categoria intelligi non poterit, nisi res empirica in usum vocata fuerit; sed imago hujus vel illius rei ob hoc modo menti proponitur, ut retineatur

non quod singulis rebus particulare et proprium appareat, sed quod omnibus sit commune; res igitur specialis imaginationis vi provocatur, ut momentum individuale o: *empiricum* negetur. Cum vero negativa solum ratione usurpetur empiria, notitiæ phænomenorum singulorum mentio fieri non potest; ubi vero efformata est speculativa notionum logicarum intelligentia, hoc demum efficitur, principium omnis existentiæ esse ideam absolutam, i. e. totum phænomenorum realium ordinem esse rationalem, ita ut, quemadmodum nulla res contra rationis absolutæ naturam existere possit, sic neque ratio objectiva et concreta, nisi per intelligentiam rerum empiriæ subjectarum, comprehendi non possit. Hac autem via, relicta Logica, cuius notiones universales sunt et necessariæ, ad empiriam, quo pertinent res in casu positae, transgredimur.

§ 3.

Empiria vulgaris, ubi omnia individualia et accidentalia sunt, negatio Logicæ recte habetur; quemadmodum enim Logica ab auctoritate sensuum abroganda initium capit, ita iam perscrutationi universalium notionum valedicendum erit, atque ad sensuum testimonium provocandum.

Sic vero nobismet ipsi contradicimus: negavimus enim esse discrimen inter τὸ apriori et τὸ aposteriori, et tamen discrimen aliquod esse, fateri cogimur. Antequam enim res singulas sensibus percepimus, nihil contra leges ontologicas extare posse, scimus; quare omnia, quæ Ontologia docet, de rebus prædicere licet; id quod a priori appellatur; quomodo autem res ipsæ a parte individuali comparatæ sint, tum demum, quando experientia ipsarum

rerum rite fuerimus edocti, cognoscere continget i. e. ad posteriori.

Contradictio autem solvi potest, quia discrimen modo ad phænomenorum partes, identitas autem ad existentiæ essentialis pertinet. Quod si hæ regiones absolute inter se differrent, vix sane nodum expedires, cogitationem autem hoc efficere, ut phænomena, qualia ope sensuum immediate percepta sint, in essentiam evanescant, non ut dissoluta jaceant, sed ut ex ipsa essentia, veluti ex ratione vera, restaurentur, quis peritus ignorat. Essentiam ipsam in phænomenis apparere, ita ut per se haberi nequeant, sed existentiæ essentialis sint phænomena, Logica speculativa docet; et homines empiriæ studiosissimos phænomena externa captando in essentiam vel contra suam opinionem incurrere, experientia ipsa testis est.

Fingamus hominem phænomenis solis gaudentem, quid faceret, si phænomena omnia, veluti uno ictu, oculis ejus se offerrent, ut nihil cogitare, nihil sentire, sed solummodo spectare liceret; quid juvaret, si bruti instar in singulis rebus aspiciendis ita defixus teneretur, ut quamvis auribus audiret, tamen non intelligeret, quamvis oculis cerneret, tamen non perciperet. Quare semper, ubi, antequam meditatio philosophica per se exculta est, intuitio quædam immediata prævalet, non empirismus rudis et barbarus, qui cogitationem ipsam confecerit, sed liberrima momentorum et empiriæ et cogitationis permeatio apparebit[1]). Accedit quidem gravissima quæstio, num hæ vel illæ res narratæ et descriptæ evenerint necne;

---

[1]) cfr. Herodot etal.

inquiritur ita in realitatem phænomenorum externorum, ac si nihil aliud ab historicis ageretur, quam ut ea certa esse et sic evenisse probarent; tenendum autem est, phænomena, quando ita cupidissime appetantur, non præsto esse, sed absentia eorum desiderium moveri; atque ita non de sensuali rerum præsentium aspectu agi. Quod si res, quas empirici ita sedulo quærunt, jam omnes detectæ et accurate definitæ atque in lucem protractæ essent, illi vero ita voti compotes facti, aut mens obmutesceret aut alia meditandi via ingrediendum erat. Accuratius itaque consideranda est phænomenorum externorum a spectatoris conscientia sui abalienatio, ut, quomodo identitas restauretur, illucescat. Spectatoris et phænomeni spectandi ea relatio est, ut phænomenon, quando spectatoris oculo admoveatur, per interjectiones sic! ita! describi non possit, sed ne frustra prætereat, judicium de phænomeno ferendum est, quid est autem judicium ferre, nisi phænomenon ad totalitatem cum notionum universalium tum rerum, experientia jam perceptarum, referre, ita ut suum locum obtineat.

Sed in hac ipsa relatione duo momenta distinguuntur; quemnam locum obtinere debeat phænomenon, pendet cum ex ejus natura tum ex indole spectatoris subjectiva; cum vero phænomenon primo obtutu (§ 2) abstracta solum ratione appareat, fieri potest, ut, qualitatibus veris non detectis, pravum locum in conscientia obtineat. Vaga est igitur phænomena percipiendi methodus, et ne error irrepat, summa cura cavendum.

Crescet autem hæc difficultas, si perpenderimus, in paucissimis phænomenis contingere, ut ipsa immediate

spectatori proponuntur, sed sæpissime alienis oculis auribusque utendum esse, sæpissime alieno intellectui judicioque confidendum.

Cum vero spectatores alter per alterius visum phænomena observant, removendum est, si quid impuri ex subjectivitate aliqua se rei percipiendæ immiscuerit, quo nihil potest esse difficilius; neque enim alienus error solum, sed, cum spectator, pro ea, quæ menti inest, in semetipsam redeundi facultate, judicium non modo ad rei qualitatem sed etiam ad commodum arbritrarium detorquere possit, etiam fallacia metuenda est. In censum venit fides auctori habenda, sed cum fides auctoris ex rei descriptione, et veritas rei descriptæ ex fide auctoris pendeat, quærendum est aliud et quidem universalius tutiusque veritatis criterium. Confugimus igitur ad notiones ontologicas adque conditiones rerum maxime necessarias, ut absurda removeantur et fabulæ dignoscantur.

Velnti si quis de quadratis rotundis narrat, non credimus, neque Isidori decretalibus, cum Victor, episcopus Romanus, vir seculi secundi, Theophilo Alexandrino, viro amicissimo, sed tamen seculi quarti, scribens fingatur, fidem habemus. Ne vero ipsa regula, id quod fieri non possit, fieri non posse, propter tautologiam molestissimam taedio nos afficiat, experientia duce, accuratius definiatur necesse est, quid hoc sibi velit, fieri posse. Conferuntur ita, quæ jam cognita habemus, cum iis, quæ postea experientia nobis offert, ne posterioribus priora tollantur neve concontraria reperiantur.

Fit igitur conclusio per analogiam et inductionem, et phænomena, quæ fieri solent, pro veris habentur ea

autem, quæ præter consvetudinem eveniunt, suspicionem movent. Summa itaque phænomenorum ab altera parte spectatur, ab altera vero phænomenon particulare, ad illorum normam definiendum; sed in similibus semper dissimilitudo remanet, alias enim nil novi adderetur, quod in phænomeno prioribus simile est, in censum non venit, sed quod dissimile est, judicium quærit; nexus autem, phænomenorum similitudini et dissimilitudini superstructus, externus et laxior est; quare propterea quod res in facto posita jam sæpius evenit, inde non sequitur, eandem, ɔ: ejusdem similem, eo tempore evenisse, quo evenisse narratur; neque si phænomenon raro aut nunquam apparuisse constat, exinde concludi potest, narrationem eventus esse falsam.

Observanda est igitur gradatio a minore ad majorem veri similitudinem; quæ observatio ad spectatorem pertinet, qui omnia in conjectura ponit; (— calcul des probabilités —). Ubi enim de similitudine veri agitur, verum et absit, et tamen aliquatenus adsit, necesse est.

Abest verum, nisi enim remotum esset, cur de externa ejus specie, cur non potius de ipso vero diceretur; sin omnino abesset, quomodo veri studium esse posset, quomodo veri similitudo commemoraretur. Ratio rei hæc esse videtur. Phænomena cum frustra secum invicem singula comparantur, cum realitate supra se posita ɔ: cum vero, conferuntur. Quum autem phænomena abstracto modo distingvantur a vero; ipsum verum externa ratione phænomenis opponitur atque ab iis segregatur, ut alio habitu assumto phænomeni novi, licet præstantioris, instar prodeat; neque enim de immanentia veritatis, quæ

omnia phænomena ita penetret et efformet, ut eorum formam suam faciat, hoc loco dici potest. Quærenti autem, quomodo ipsum veritatis phænomenon in tanta phænomenorum serie deprehendi possit, observandum est, idem a parte objectiva post velum phænomenorum ceterorum latere, a parte vero subjectiva imaginem quandam veritatis in mentem spectatoris anticipando et divinando transferri, ut singula phænomena ad ejus normam dijudicari possint.

Cum vero aliæ sint aliorum spectatorum de vero opiniones, eædem quoque inter se conferendæ sunt, quare nihil effici potest, nisi per consensum, si non omnium, at tamen plurimorum; atque ita principatum obtinet opinio ejus ævi, quod spectatorem aluit, publice declarata. Neque tamen ita, ubi stemus, datur. Notissimum est enim, quantum opiniones de iis rebus, quæ fieri possint, quæ non possint, labente tempore, fluctuent, quanto amplius spatium medio ævo, quam hodierno tempore possibilitati datum sit. Quare quo instantius hac via veritatem sectamur, eo celerius aufugit.

Ne vero quis putet, nos sophistice disputando nodum in scirpo quærere, inculcandum est, non de eo studio, sensu, cognitione veritatis quaeri, quibus excellant plerique, qui tamen hanc methodum maxime commendent; aliud est de veritate, qua auctor forsitan fruatur, disputare, aliud in methodum, qua veritatem acquisivisse sibi videatur, inquirere.

Neque collationem momentorum singulorum, per se spectatam, vituperamus, novimus enim, veritatem non ita μετὰ παρατηρήσεως venire, ut: en hic! en illic! dici possit;

neque observationem singulorum phænomenorum negligendam esse putamus, nam, deficientibus singulis, totalitas evanescit. Sed, si quid videmus, error hujus methodi in eo est collocandus, quod cum singula phænomena externo modo apponantur, ut neque se invicem penetrent, neque a veritate penetrentur, conferendis tamen omnibus verum deprehendi posse credunt, cum tamen luce solis clarius sit, nihil aliud hac comparatione effici, quam ut alteratio veri ubivis appareat. — Qui hac via veritatem acquirere student, haud absimilis est hominis, qui in terra peregrina amicum quærens, quando hospitium intraverit, amicum nuperrime ibi versatum fuisse, sed navem jam conscendisse audit, et, portum nactus, illum jam altum tenere comperit

Criticismus enim, quando in subjectivitate veritatem quæris, ad objectivitatem provocat, et cum universalem veri ideam desideras, phænomena singula premit, quando autem hoc vel illud phænomenon agitur, ad totalitatem refugit.

Inde sequitur, ut regulæ Criticorum aut adeo universales sint, ut omnino inanes appareant, aut si quid de rationibus specialioribus prædicent, in eas quadret, quod fere semper de grammatica Germanica, genus substantivorum tractante, valet: quot regulæ, tot exceptiones.

§ 4.

Quæ cum ita sint, phænomena externa noli amplius per se spectare, sed quæ ex iis redundant, opiniones sunt, quare in opinionum summa ponenda est veritas. — Ita si de phænomeno externo nescio utrum rei ipsi con-

venienter judicaverim necne, scio tamen me hoc vel illo modo judicasse, et si de re narrata non constat, utrum evenerit, annon, sed tamen constat, eandem esse narratam atque adeo ab aliquo cogitatam, et si dubito, num antiquiore tempore miracula facta sint, quin populi antiqui miracula crediderint, dubitare non possum. Itaque historicorum non est, in externum singularum rerum eventum inquirere; verum ut nullum factum semetipsum fecit, sed ab alio factum est, ita nulla res in facto posita potest per se teneri, sed ejus, cui res gesta accepta refertur, ingenium perspiciendi occasionem præbere debet. Hinc igitur phænomenorum externorum negatio perficitur. — In phænomenis sensualibus vita spiritualis se exserit, phænomena exprimunt opiniones animi essentiales, sed opiniones essentiales sunt cogitationes, quare historicis hoc propositum esse debet, ut in rebus a genere humano gestis velut in speculo puro aspiciatur facies spiritus, et eruditio populorum. — Atque his recte perpensis, in idealismum quendam historicam incidimus, cui hoc saltem concedendum est, cogitationem et rationem in historia semetipsam quærere. — Tantum vero abest, ut hoc idealismo empiriæ vulgaris auctoritas omnino abrogetur, ut eodem affirmetur, modo ne ita ratio intelligatur, ac si ambo historiæ momenta et reale et ideale ita immediate copulari oporteret, ut rerum in facta positarum narratio observationibus subjectivis nescio quibus, condiretur, ut ad steriles campos realitatis terrestris irrigandos fluvius spiritualis ex sacro piorum sensuum crepusculo emanaret. Idealismus autem dum phænomena externa neg!igit, et essentiam internam captat, per phænomena sola aditum ad existentiam spirualem patescere,

non potest non agnoscere. Quomodo enim imago ingenii sive singulorum hominum sive totius populi depingi potest, si facta nuda, auctorum nominibus abjectis, per ora ferrentur, aut si Pompejo tribuerentur, quæ a Cæsare feliciter gesta essent; efficacia spiritus quomodo cognosceretur, nisi quæ externa impedimenta removisset, quas naturæ moles tractasset, quam objectivitatis massam finxisset, cognitum haberemus[1]). Ut v. c. ingenium populi Judaici recte perspiciatur, plurimum refert, utrum statuamus, omnia, quæ narrentur, a Jehova potenter facta, revera in externo naturæ rerum ordine apparuerint, an ex subjectiva piorum imaginatione hujusmodi prodigia nata sint.

Quæ cum ita sint, historia vera hoc postulat, ut licet in phænomenis externis ratio objectiva quærenda sit, phænomenorum tamen massa igne cogitationis prorsus comburatur, ut ex cinere phoenicis instar ipsa renascantur. Hic autem phænomena funditus negandi et restaurandi labor historicis plerisque periculosissimus esse videtur. Cogitare quidem non recusant, parati sunt, qui factorum stamini meditationum suarum subtemen inserant; tutissima enim ejusmodi cogitatio esse videtur; nam si subinde accideret, ut cogitatio subjectiva sibi minus constaret, res ipsæ tamen in facto positæ restant, ut semper dicere possint: en factum ipsum, eo tempore, eo loco rem evenisse

1) Avec le monde a commencé une guerre qui doit finir avec le monde, et pas avant; celle de l'homme contre la nature, de l'esprit contre la matière, de la liberté contre la fatalité. L'histoire n'est pas autre chose, que le récit de cette indéterminable lutte. Michelet: Introduction a l'histoire universelle.

noli dubitare. Quando autem quæritur, ut phænomenis empericis valedicendo ad solam rationem objectivam animum convertant, præjudicia philosophica arbitrariamque constructionem, quæ a priori fiat, metuentes, tergiversantur.

Si vero res ita se haberet, ut phænomenis omnibus abnegatis, ad hoc vel illud systema philosophicum nos converteremus, ut formulas jam definitas in phænomena applicaremus, philosophis fere inutile esset, tempus et laborem historiæ impendere. Sed negatio philosophica aliter comparata est. In sermone quotidiano quando nihil, quando negationem commemoramus, de inani quadam, ut ita dicam, nullitate sæpe cogitamus, sed quot rerum positivarum sint modificationes, tot esse negationes, facillimum est intellectu, cum negatio sit ipsa rei definitio. Itaque si quis hoc solum diceret: *nihil habeo*, eum non satis intelligeremus, si vero diceret; *antea divitias habui, nunc autem nihil habeo*, tum sane et cujus nihil sit, et nihil ipsum perspiceremus, hominem pauperem esse factum facile intelligentes, Quid? quod ab ipsa quotidiana vita eadem concludendi ratio commendatur! Quando enim in actionibus hominum, quibuscum familiariter versamur, dijudicandis occupati sumus, non actionibus, ut phænomenis externis, inhæremus, sed semper indolem animi, causas atque rationes, unde sint profecta, respicimus. Unaquæque actio suam habet rationem, sed ratio est negativum phænomeni; phænomenon igitur sui negativum prodit. — Quid? quod ex ea vi negationis speculativæ pendent omnia argumenta, quae sunt pro existentia Dei; quodvis enim argumentum a phænomeno universali et mundano, quod immediate nobis se offert, negando inci-

pit, negatione ejus ad essentiam Dei pervenimus, exinde autem phænomenon negatum restauratur. Respiciamus primum argumentum cosmologicum:

A parte *phænomeni empirici* observatur: *en mundus est. Negatio* vero (conclusio fit ex contingentia mundi) accedit: *si mundus per se spectatur, nihil est, nullum in se habet substantiam.* Inde demum sequitur

Conclusio: *substantia absoluta est Deus*; atque ita

Restauratio phænomeni:

Ex substantia Dei substantia mundo contingit.

Inde elucet etiam, essentiam ipsam, phænomeno negato, difiniri. Nam cum in argumento cosmologico mundi substantiam negaverimus, ad substantiam Dei negando pervenimus, si vero aliusmodi phænomenon, cogitationem humanam puta, negavissemus, ut in argumento ontologico fieri debet, ad aliam existentiæ Dei formam pervenissemus. Atque hinc sane cognosci potest, quam perniciosa sit veritati mediocritas, jam reprehensa.

Nervus argumenti ontologici sic indicari potest: *Cogito, ergo Deus est.*

Phænomenon igitur immediatum: adest, cogitatio et conscientia sui humana.

Negatio absoluta deinde sequitur:

Nihil ex semetipsa est cogitatia humana; qua negatione perficienda evincitur

Conclusio: *Cogitatio absoluta est* ɔ: *conshientia sui divina*; — et

Restauratio phænomeni:

Quando existit cogitatio Dei et absoluta conscientia sui divina, explicari potest existentia cogitationis humanæ.

Cum vero argumentum ontologicum Kantius explodendum suscepisset, distinctio ejus inter exsistentiam realem et idealem, cui tota crisis superstructa est, ad istam mediocritatem recurrebat:

Hominem esse et cogitare posse, res est in facto posita; quæ si per se conservatur, negari non potest, in potestate hominis esse, quando velit, Deum et cogitare et non cogitare — Ita autem phænomenon hoc empiricum per se tenetur, nulla accedit negatio vera, atque ita facile argumentum vacillat, cum cogitatio divina cogitationi humanæ externo modo apponi non possit. Cum autem quæstio, unde ipsa cogitandi facultas exstitisset, institueretur, cumque idealismus omnia phænomena rudia ex conscientia sui humana expurgasset, tum demum fieri potuit, ut argumentum ontologicum vere agnosceretur et efformaretur.

Quantum vero detrimentum theologia ex ista mediocritate cepit, tantum historia non cepit solum, sed capiet etiam usquedum phænomenorum vera negatio suscepta fuerit.

Eadem est enim idearum historicarum ratio atque earum, quas nuperrime commemoravimus, theologicarum. Itaque hoc primum observandum est, per negationem rerum in facto positarum penetrari ad principium ipsum. Veluti siquis ingenium Catholicismi comprehendere conatur, phænomenorum, quæ huc pertinent, historicorum summa oculo ejus, quoad fieri potest, obversari debet, ut iis negandis ad principium catholicum perveniat; alias enim principium ex aëre captum rebus historicis obtruderet. Quemadmodum igitur in argumento cosmologico mundi phænomenon immediate atque ex contingentia dabatur, ita etiam universale Catholicismi phænomenon ex

contingentia esse observatur, donec ad rationem ejus penetraverimus. Deinde hoc admonemur, principium, ita deprehensum, non esse per se tenendum, sed efformationem ejus specialiorem negatione etiam phænomenorum specialium comprehendi, ut cogitatio objectum historicum nunquam relinquat. Duplex igitur error evitandus est; quorum alter adest, quum ex hujusmodi principio universali, neglectis phænomenis specialibus, modo abstractas notiones persequeris, alter vero, quum principium universale externo modo in specialiora omnia applicas. Nihil enim mediocritatem historicam magis prodit, quam si universalibus categoriis v. c. libertatis, despotismi, hierarchiæ, similibus, res singulæ induuntur, ut notiones ipsæ non efformentur, sed particularitatibus externis, ut ita dicam, impleantur. Si hierarchiæ notio historice explicanda est, non sufficit abstracta ejus definitio, ut labentibus seculis immutari quidem eam agnoscatur, quando vero de singulis mutationibus quæratur, ad facta singula Irenæi, Cypriani, Gregorii enumeranda confugiatur. — Tria igitur momenta in hujusmodi explicatione distingvenda sunt: primum est notio hierarchiæ universalis; secundum actiones resque singulas ad ideam hierarchiæ pertinentes amplectitur; tertium vero identitatem amborum momentorum efficit. Quid autem sibi velit hæc identitas non esse potest intellectu difficillimum, quærenti enim, cur applicatio fiat, nihil aliud, si quid videmus, responderi potest, nisi universalem in rebus specialioribus notionem atque ideam singulari modo formari, hierarchiæ notionem verbi causa dictis factisqne Gregorii VII aliter definiri atque fit Irenæi. Sed profecto inde sequitur, ut res

gestæ Gregorii a duplici parte considerari possint; ab altera enim parte individuales sunt, neque easdem alibi in historia deprehendimus, momentum illud fixum atque immobile, cujus antea mentionem fecimus, continent; ab altera vero parte ideam hierarchiæ speciali modo manifestant; atque ita momento universali ubivis sunt imbutæ. Sic igitur universalitatis formam acceperunt individualia, et vice versa modificationes individuales nacta est idea universalis. Quæ si recte disputata sunt, tertium aliquod eruitur, quod neque empirice individuale per *sic* et *ita* definiendum, neque inaniter universale ad quamlibet applicationem idoneum, sed historica notionis definitio dici possit. Atque hanc empiriam, quæ rationi infinite respondet et cum ea congruit, speculativam jure nostro appellamus.

§ 5.

Discrimen quod inter empiriam vulgarem et speculativam intercedit, in oculos facile incurrit; illa enim phænomena extrinsecus, hæc intrinsesus observat; cumque illa multitudinem phænomenorum accidentalium coacervet, hæc contra momentorum omnium nexum organicum ita depingit, ut nullum phænomenon, nisi quod ex idea ipsa progressum esse agnoscatur, in censum veniat. Quæ cum ita sint, longe major phænomenorum singulorum ambitus in empiria vulgari quam in speculativa esse potest. Quando enim vulgari operam damus, *num* res factae sint, non autem, *cur* factæ sint, quærentes, nihil aliud agimus, nisi ut phænomena singula, quam plurima, accuratissime observemus et definiamus; multisque hujus subtilis

contingentia esse observatur, donec [illegible] us Criticorum penetraverimus. Deinde hoc admon[illegible] tem, principium deprehensum, non esse per se [illegible] entes, plura historiæ nem ejus specialiorem [illegible] ne tractata, ut acciden- specialium comprehendi, [illegible] nanda interdum negligunt. nunquam relinquat [illegible] nc negligentiam non ab ipsius quorum alter [illegible] ut insolentia quædam speculativa sali, neglectis [illegible] omnia, si a parte objectiva spec- notiones per[illegible] comprehendi et intelligi possunt; sed ex imbecilli- sale extr[illegible] humanæ, quæ universaliora quidem rationis enim [illegible] lineamenta, non autem vulticulos innumerabiles uni [illegible] dignoscere valeat, oriri, ut ita Philosophum r[illegible] decet; deinde tantum abesse, ut hinc phænomenorum empiricorum cura decrescat, ut major eveniat. Unum solum ideæ universalis momentum una actione exprimi potest, quare ut reliqua momenta accedant, actiones reliquæ respiciendæ sunt. Ut notio igitur objectiva et historica eruatur, multa phænomena, apparatus instar, in promptu sint necesse est, quare quo major phænomenorum, empiriæ vulgari subjectorum, copia adest, eo melius phænomena essentialia secernuntur et explicantur.

Quod si quis hierarchiam Gregorii VII per dicta factaque singula vulgari modo describendam suscipit, nihil aliud opus est, quam, ut definitionibus his et illis interspersis, loca ad rem indicandam apta excerpat et in honestum ordinem redigat; (hujusmodi enim loca, cum undique accumulata, veluti in definitionum corona fulgeant, idonea sunt, quæ quantam doctrinæ molem auctor regat, ore rotundo prædicent).

Sin autem hierarchiam illius papæ revera compre-

re conatur, locorum electorum summa non sufficit, nisi per omnes rationes sedulo illustratas, ad subnotionis nervos attingendos via patet. Inde fit, n veritatis notio in utraque regione prævaleat. n vulgari verum est, quod vere evenit, sive e levioris momenti est, in speculativa autem notio pendet ex ratione, quæ intercedit inter em et principium constitutivum, ibique docetur, multa evenisse, quæ tamen veritati parum satisfaciant; velut Isidori decretalia ab omnibus Criticis propter falsitatem male audiunt, si vero a parte interna hoc phænomenon spectatur, veritatem habet profundiorem; duplicem autem hanc rei considerandæ rationem mutuo comparandam esse, jam observavimus. Simile est discrimen, quando argumenta historica commemorantur, interdum enim rem ad certa effata factave referre possumus; interdum vero, licet hujusmodi non data sint, contendimus, ex universa rerum omnium ratione rem nostram elucere; differunt ita argumenta, quæ juridica vocaverim, ab argumentis, quæ persvasionem moralem, quam dicunt, moveant; ut illa ad empiriam vulgarem, ita hæc, ne in vaga verisimilitudine subsistatur (cfr. § 3), ad empiriam speculativam referenda sunt.

Quod si tamen partes empiriæ vulgaris per se perfici potuissent, tum sane ad empiriam speculativam tutissime transire liceret; sed non solum definienda est veritas empiriæ vulgaris ad normam empiriæ speculativæ, verum etiam, ut recte appareat, hæc duo nec concordari posse nec discrepare, duplex Logicæ genus ex eorum diversitate proficiscitur. — Ratio enim interna et externa in eo

differunt, quod res, quæ existunt, hæc ita conjungit, ut nonnullis quidem locis concidant, intra terminos autem, quibus circumscribantur, separatæ maneant; illa autem efficit, ut momenta ubivis concidant, et sese invicem alterum alterum penetrent. Hinc autem sequitur, ut in empiria vulgari a diversitate phænomenorum describenda, unitate formaliter audita, incipiatur, in Logica autem speculativa ab unitate in diversitatem progrediamur.

In Logica vulgari, ubi notiones abstractæ per se tenentur, res ipsæ per se habentur, nihil adeo fugiendum est, quam contradictio, cum enim res sese invicem attingant, cum hæc sit rei natura, ut a spatio suo alienum quodcunque removeat, quomodo res A simul dici possit et esse et non esse eadem, quæ res B. Ubi vero intrinsecus consideratio instituitur, non de rerum diversitate, sed de infinita momentorum congruentia dicitur, et tum contradictio absoluta semetipsam tollit.

Inde lites, quæ inter intellectum vulgarem et rationem speculativam quam plurimæ aguntur, explicari possunt. Nam indigne fert intellectus vulgaris, quando regulas, quas certissimas omnique exceptione majores esse agnoverit, *ex nihilo nihil fieri*, *tria non esse unum*, *nec unum esse tria*, in Logica speculativa pedibus, ut ita dicam, conculcatas videt. Verum observandum est, hanc duplicem Logicam, ut empiriam duplicem, non simpliciter se invicem tollere et conficere, sed hæc omnia contraria a diverso rei spectandæ loco oriri, ut mira inde concordia discors inter Empiricos et Philosophos nascatur. Neque enim Philosophi, quando contradictionem absolutam commendant, atque identitatem docent, intellectus vulgaris

nomine hoc faciunt, norunt quidem, si statum hujus intellectus respexerint, omnes ejus regulas esse admittendas, intelligunt, si opiniones, quæ de philosophia et historia vulgo feruntur, retinuerint, tum mediocritatem esse commendandam, sed statum ipsum mutatum volunt; non Logicæ vulgaris leges, sed ipsam Logicam vulgarem corrigendam suscipiunt. — Cum Empirici autem, methodum suam mancam et solivagam esse, nunquam sibi persvadeant, causa est, quod statum ipsum (ɔ: det hele Standpunkt) non mutant. Quid autem inde sequitur? Hoc profecto, empiriam vulgarem et speculativam externo modo sibi invicem apponi non posse, ut artificio quodam subjectivo componantur, alias sane vacillatio inter utramque, scepticismum, qui utramque everteret, provocaret; sed infinitis modis, omnibus locis transitus ab altera in alteram vi ipsius rei objectiva fieri et fieri debere. Semper enim τὸ extrinsecus τὸ intrinsecus continet — neque utrum Logica speculativa vulgari præferatur, necne, a libero arbitrio pendet, sed Logica vulgaris est, quæ quando perficitur, neque in via media persistit, in Logicam speculativam ducat. Atque ita empiria speculativa identitatem sui et vulgaris essentialem agnoscit. Inde quoque elucet, quam libera esse possit notionis speculativæ efformatio. Multi quidem homines, quando notio, quando systema iis commendatur, abhorrent, structuram omnem notionum necessitati adstrictam velut armaturam ferream, haud tractabilem, haud tolerabilem repudiantes. Sed hunc carceris systematici horrorem non rei natura, sed imaginatio subjectiva procreavit. Systema verum postulat id quidem, ut notiones necessariæ teneantur, sed causa est, quia in ipsa vita vim suam

ubivis exerceut; postulat quoque, ut notio per omnes modificationes individuales illustretur, qua in re libertati cogitationis optime consulit. Maxima saue est volubilitas cum systematis tum notionis; systema enim quid aliud agit, nisi ut omnia notionis momenta, quatenus se invicem excipiant, evolvat? notio autem quid aliud est, quam ideæ prægnantis explicatio? Ex interna ideæ plenitudine oriuntur externæ rei modificationes, quæ si extrinsecus observantur, innumerabiles quidem sunt et accidenlales, nec definiri possunt, sin autem intrinsecus considerantur, ex ipsius ideæ vi in se definita prodeunt, atque ita, licet infinitæ sint, definiuntur.

Quæ cum ita sint, notionis necessitas libertati vitæ non adversatur.

Neque propterea quod veram momentorum vitæ expositionem arbitrio subjectivo non relinquimus, momentum libertatis subjectivæ negligitur. Cum enim empiria speculativa empiriæ vulgari infinite respondeat et ab ea infinite differat, quæritur ingenium, quæritur ideæ immediate indagandæ facultas, ut momentorum impeditorum nodi recte expediantur.

§ 6.

Quæ adhuc disputata sunt, si in summam rediguntur, videmus, tres esse gradus, quos cognitio nostra percurrat. Unus enim empiriæ vulgari, qua forsitan fruamur, valedicere et in Logicam speculativam transire jubet, alter negationem Logicæ, afferens in vastum empiriæ vulgaris accuratissime inspiciendæ campum nos ducit, tertius rationem objectivam in speculo empiriæ speculativæ conspicuam sistit.

Si vero hi tres gradus, se invicem abnegantes, externo modo alter alteri apponerentur, tum sane in tribus solum terminis et tribus vicibus negatio et restauratio quærenda erat. Quod autem in universum ad tres terminos relatum est, intra terminos ipsos in infinitum repetitur; quod enim de Logica speculativa valet, eam in universum empiriæ nuntium remittere, idem quoque intra fines hujus Logicæ recurrit, cum semper empiricis momentis abnegandis efformetur; et quod de empiria vulgari dictum est, eam rationi logicæ esse contrariam, idem quoque valet intra limites hujus empiriæ, ubi infinita momentorum crisis et rationis *ἀλλοίωσις* est, quare quod summatim ex his omnibus efficitur, infinitus momentorum in opposita transitus dici potest.

Inde autem scientiæ notio constituitur, cum scientia momentorum absolute oppositorum identitatem efficiat absolutam.

Quare si typus universalis et formalis scientiæ absolutæ quæritur, ad nostram nostri conscientiam provocare licet. *Ego* enim humanum, cum se dirimens identitatem sui servet, semetipsum scire dici potest. Cum autem conscientia sui nulla esse possit, nisi per existentiam realem ɔ: per conscientiæ negativum, hæc limitatio est quidem, si ad specialia objecta respicimus, simplex conscientiæ negatio, atque adeo scientiæ annihilatio; sin vero in universum ad realem negationem attenderimus, tum sane quo magis conscientia limitetur, eo magis scientia efformari dici poterit.

Nam si conscientia sui nisi per aliud quoddam, sibi contrarium, esse non potest, ab hoc alieno momento

ubivis penetratur, et quoties semetipsam prehendit hoc alienum simul capit: quare conscientia diremtionem momenti proprii, sive formalis et alieni sive realis, atque utriusque identitatem efficit; itaque conscientia sui est simul scientia alterius. Atque hinc facile in universum intelligitur, scientiam cum Dei tum naturæ absque omni creaturæ et creatoris confusione esse posse. Qui igitur hanc philosophorum sententiam, *simile modo simile capere et cognoscere*, in pravam partem detorquent, absolutam conscientiæ sui et objecti cognoscendi identitatem per oppositionem absolutam vindicari, male obliviscuntur.

Quæ cum ita sint, ex ipsa scientiæ natura sequitur, ut quævis cognitionis species, quæ rationem inter cogitationem et objecta, de quibus cogitetur, externam sistat, a sacro ejus limine removeatur. Quæcunque ad empiriam et Logicam vulgarem pertinent, rudiora sunt, quam quæ in regionem scientiæ evehantur.

Cum autem, quod jam antea significavimus, empiria vulgaris deesse non possit, et tamen scientiam extra se positam habeat, distingvendum est inter ea elementa, quibus præparatur scientia, et scientiam ipsam. Neque minimus est hujus distinctionis fructus.

Primum enim hac ratione cavetur, ne rudimenta notionibus trivialibus immixta, scientiæ nomine venditantes, dum scientiæ potitos nos esse, crediderimus, a vera scientia in perpetuum removeamur. Scientiam historicam profiteri, non est historias narrare, sed quæ in historia com[illegible]ensa sunt et perspecta, tradi debent, reliqua autem [illegible]mentis auxiliantibus, denuo perlustrandis, relinquenda

sunt, ut ita demum efficiatur, num ejusmodi sit scientia necne. Sed eo usque invaluit consvetudo, elementa critica sub specie scientiæ positivæ tradendi, et notionem, quæ omnia penetret, quærenti respondendi: *historica sunt, ne philosophemur*, — ut Dogmatici, qui nihil fere aliud de Deo doceant, quam esse ens supremum, quod Hebræis אֱלֹהִים, Græcis Θεός, Latinis Deus, Germanis Gott etc. dicatur, easdemque denominationes esse aliter ab aliis explicatas, scientiæ positivæ laudem reportent. Neque hoc solum, veru metiam, cum Dogmatica speculativa omnia, quæ a conscientia sui religiosa comprehendi nequeant, ut aliena elementa foris eliminata velit, veluti sacræ scripturæ et ecclesiæ nomine obloquuntur; quasi notiones speculativæ impigerrimum et sacræ scripturæ et doctrinæ ecclesiasticæ studium non quæreret. Quando dogmata alterum ex altero veluti uno tenore fluere vident, dogmaticam esse ex hoc vel illo systemate philosophico deductam reprehendunt, cum vero ipsi viam ab altera in alteram dogmaticæ partem, dictis probantibus afferendis, tutissimam sibi munire credant, a superstitione quadam non sunt immunes, cum locis sacris in fronte positis, error dogmaticus sic removeatur, ut, signo crucis facto, diabolus a trivio pellitur.

Deinde hac distinctione facta illucescet, quanta virium intentione opus sit, ut scientia vera efformetur. Empirici et Critici cum sibi invicem gratulentur, ac si soli essent, qui ingentes litterarum moles aggredi auderent, cum Philosophi suis solum speculationibus indulgeant, tum sane magniloquentia utuntur, neque actionem cogitandi satis æstimant.

Qui vero cogitationem speculativam hoc dente carpunt, scientiam ipsam interdum justo altius extollunt, interdum vero justo minoris habent. Justo nimis scientiam evehunt, cum contendunt, homines nihil recte et absolute comprehendere posse cogitando, atque ita omnem studii fructum in empiria vulgari adaucta et bene disposita esse collocandum. Nimis de dignitate scientiæ detrahunt, si credunt, modo objecta positiva adsint, se ipsos nullo negotio et veluti proprio Marte cogitationem addere posse. Qui si recte consideraverint, quanto studio opus sit, ut notionem absolutam per omnes modificationes recte persequamur, tum sane concederent de philosopho hac ex parte valere, quod Adamo peccatori dictum sit : בְּזֵעַת אַפֶּיךָ תֹּאכַל לֶחֶם

Licet ita laboris studiique laudes in Criticos et Empiricos solos non cadant, ab alia tamen parte laboris molestia in eos ablegatur; distingvi enim debet inter cogitationem, quæ sua ipsius causa suscipitur, et inquisitionem præviam, quæ finem extra se positum habet. Illa est speculativa, hæc autem vulgaris et critica. Ea enim est operationum criticarum natura, ut sibi nunquam sufficiant; neque solum hoc de inquisitionibus, quæ in authentiam librorum, cum sacrorum tum profanorum, instituuntur, valet; sed valet etiam de ipsa idearum tractandarum ratione. Criticismus quando notiones dogmaticas v. c. creationis, inspirationis etc. explicat, ad quæstionem recte proponendam sæpe pervenit, quæstionem vero nunquam solvit.

Creatio mundi — inquiunt — neque ita cogitanda est, ut mundum cum Deo confundamus, ut Pantheistæ faciunt, neque ita, ut mundus sui causa habeatur, ut volunt

Atheistæ; inde enim quae sequuntur perniciosa essent et impia; sed ita cogitanda est, ut libera sit Dei actio. — Hanc autem Dei libertatem cogitare non audent, præcipiunt igitur, quæ ipsi non exsequuntur (λέγουσι γὰρ καὶ οὐ ποιοῦσι).

Pari modo inspiratio tractatur: inspiratio neque ita cogitanda est, ut statuamus, Deum leges animi humani abrogasse, neque ita ut spiritus humanus a spiritu divino intactus sistatur, sed ita ut spiritus humanus a spiritu divino illustratus habeatur. Licet autem ipsi Critici disertis verbis postulent, ut inspiratio hoc modo cogitetur, frustra tamen iis cogitate! cogitate! acclamatur. — Neque tamen, quod ipsi solum quæstionem solvere recusant, adeo miramur, — respondere enim possunt, se suum duxisse non nodum solvere, sed indigitare; cum vero observationes criticæ locum scientiæ veræ obtinuerint, in eo summum contradictionis fastigium apparet, quod qui nos cogitare iubent, iidem tamen has quæstiones, quomodo Deus mundum creaverit, quomodo prophetas et apostolos inspiraverit, et inutiles esse nec solvi posse declarant.

Quæ autem ita disserere conati sumus, non eo detorqueri debent, ac si operationes Empiricorum et Criticorum contemnendæ essent aut saltem negligendæ; nam ex ea ratione, quam inter empiriam vulgarem et speculativam intercedere indicavimus, sequitur, ut sint quam maxime necessariæ, modo ne cum ipsa scientia confundantur. Quod si philosophia arti criticæ operum vilitatem objicere deque perfecta veritatis possessione gloriari vellet, illi hæc jure suo respondere poterat, quod Themistocles apud

Plutarchum diem festum diei sequenti respondisse tradit: *Ἀληθῆ λέγεις· ἀλλ' ἐμȣ̃ μὴ γενομένης σὺ ȣ̓κ ἂν ἦσθα.*

§ 7.

Scientia vero cum absolutam cogitationis et objecti cogitati congruentiam efficiat, semper eo tendit, ut efformetur ea per omnes objecti species atque modificationes. Quare si conscientia sui nisi per aliud et quidem reale esse non potest, quæritur ut hoc positivum per ingentem elementorum positivorum multitudinem se exserens, conscientiæ sui omni modo reconcilietur, eique infinite respondeat. Pendet omnis scientia ab hac reconciliatione, reconciliatio autem a *methodo scientifica* pendet. Ea contradictio, unde methodus vera initium capiat necesse est, in eo cernitur, quod cum scientia formalis et plenitudo existentiæ realis se invicem excludere videantur, in puncto tamen τȣ̃ esse, quod jam indicavimus, conveniunt. Atque eo identitatis puncto tota diversitas omnisque discordia tollenda erit. Scimus igitur *esse* objectivum *esse* subjectivum dare, *esse* formale ex *esse* reali, *esse* cogitationis nostræ ex *esse* substantiæ originem habere.

Sublata autem hac momenti formalis et realis diversitate nova oritur discrepantia. Ut enim conscientia sui realitati objectivæ plenissime conveniat, accommodatione adhibita, declarat, se nihil aliud quam *esse* simplicissimum appellari debere, cum tamen multo plura momenta in sinu gestet; eadem vero *συγκατάβασις* a parte objectiva suscipitur, cum existentia realis, plenitudine infinita tumens, omnia quoque attributa præter *esse* rejecerit; quare quotiescumque in notione τȣ̃ esse acquiescere volumus, con-

tradictio accedit, quia quod plus quam *esse* est, *esse* solum vocamus. Ea contradictio evitari non potest, cum id, cujus ope declaratio fit, conscientiam puta, iura sua tueatur. Quod autem de initio valet, valet idem de quovis statu interjacente deque ipso fine. Nulla determinatio aut denominatio, quæ conscientiæ non possit non attribui, ab existentia reali abesse potest. Quare cum ratio, quæ intercedit inter ens et phænomenon, inter causam et effectum, rationem inter τὸ Ego et τὸ Me, ut ita subjectum et objectum scientiæ formalis appellem, non satis exprimat, certo scimus, eam ne realis quidem obiecti naturam satis exprimere. Inde stimulus ille progrediendi, qui cogitanti quietem nullam relinquit, antequam ad efformatam conscientiæ sui notionem pervenerit. Quum vero hoc explicationis fastigium obtinuerimus, non a parte solum subjectiva successus contigit, sed a reali quoque parte eundum motum evenisse perspicuum est. Quare quemadmodum in initio dicimus: *esse* objectivum et reale dat *esse* subjectivum et formale, sic in fine intelligimus et comprehendimus, conscientiam sui objectivam et realem conscientiam sui subjectivam et formalem constituere. Hactenus Ontologia.

Neque ita tamen cessabit contradictio; identitas enim, quæ inter conscientiam formalem et realem vindicata est, summam discrepantiam continet. Quod ita intelligi potest: conscientia sui realissima omnem realitatis plenitudinem continet, sed identitatis punctum conscientia sui formalis in regione meræ formalitatis habet.

Quam igitur identitatis causa removimus, restauranda realitas est.

Inde per omnem theologiam speculativam stimulus dialecticus pungit.

Nihil igitur facit ad necessitatem dialecticam removendam, quod Deus ut libertas absoluta cogitatur, ubi enim libertas est, libertatis opera abesse non possunt. Sed observandum est, hac notionis necessitate libertatem Dei absolutam non abrogari; circulus enim hic est: per mundi negationem ad libertatem, unde originem duxerit, cogitandam pervenimus, quare ut notio hujus libertatis exhauriatur, ad existentiam mundi ab ea creata redeundum est; quamdiu igitur in explicatione libertatis absolutæ sed per se spectatæ versamur, semper nisus ille dialecticus ultro progrediendi adest. Pari igitur necessitate dialectica, qua *ratio*, ut ratio sit, *sequelam* quærit, quærit etiam libertas, quo sit absoluta, mundum. Neque aliter ut in specialiorem historiæ partem transeamus, res agitur. Omnia quæ tempore pornocratiæ, quam dicunt, rationem inter Germaniam et Italiam, inter politicam et ecclesiasticam potestatem discribunt, ut comprehendi possint, per totalitatem (cfr. § 4) rerum in facto positarum ad simplicissimam principii formam ita penetrandum est, ut, si in primo atque, ut ita dicam, initiali momento persistas, eadem contradictio, cujus mentionem supra fecimus, redeat (cfr. tamen § 10). Quid quod ipsum liberum humanum arbitrium, quod tamen ratione omnino destitutum esse, sæpe credideris, licet vere arbitrium sit, legibus tamen objectivis adstricta est; alias enim neque quæ contra Indeterministas afferuntur, nobis probari, potuerunt, neque naturam obdurationis satis intelligeremus.

Qui vero observaverint, ipsam hominis contra objectum veritatis repugnantiam natura objecti terminari atque modificari, concedent etiam aliter crudelitatem Messalinæ et Agrippinæ aliter Fredegundæ et Brunehildis, aliter denique Theodoræ et Mariucciæ esse comparatam. Alia erat obduratio Judæorum, qui Christum persequebantur, alia autem, cum immutata esset veritatis facies, Catholicorum, qui Luthero maledicebant.

Ut in regione sensuali duobus utimur oculis, cum idem tamen punctum ambo simul aspiciant, ut, licet duo sint, unum solum efficere, dici possint: ita ab altera parte unus solum menti cogitanti oculus tribuitur, sed qui duo puncta simul respiciat, ut duorum instar esse videatur.

Quando enim ad cogitandum aggredimur, semper in realitatem immediate nobis obviam, cujus negationem cogitatio quærit, incidimus; quare mens cogitantis semper altero oculo plenitudinem positivam tenet, alterum vero in simplicissimum existentiæ ejus momentum dirigit. Ex distantia puncti initialis a plenitudine finali efficitur contradictio fundamentalis, unde omnes contradictiones mediæ oriuntur; ut omnis scientia hoc sensu hypothetica dici possit.

Quæ si recte disputata sunt, contendere licet, summam methodi quæstionem in eo esse collocandam, ut contradictio fundmentalis in unaquaque existentiæ regione satis detegatur. Differunt enim hæ contradictiones pro divertate realitatis positivæ, a qua neganda initium fiat.

Primum illud positivum, unde egredimur, quid aliud est nisi nostra nostri conscientia realitate objectiva innisa;

quod cum sit fundamentum maxime universale, inde sequitur, ut contradictio ejus fundamentalis ubique extendatur neque eam hypothesi ulli adstrictam esse sentiamus, cum hypothesis sit ipsa cogitandi conditio necessaria. Atque hæc contradictio *ontologica* vocanda est.

Alterum vero positivitatis fundamentum apparet, cum ab ipsa realitate, cujus auctor est conscientia sui absoluta et quidem ab hoc nostro rerum ordine abnegando initium fiat; deducitur inde quidem contradictio quædam fundamentalis, sed quæ artioribus tamen hypothesis finibus circumscripta sit; certissimum enim est, conscientiam sui absolutam non posse in semetipsa acquiescere, sed quænam realitas ab eo prodeat, hypotheticum esse videtur atque libertati ipsi quasi conditioni astrictum, cum mundus noster non solus sit, in qua vita divina manifestari possit. Quid? quod in disciplina dogmatica si theologiam (regnum patris), christologiam (regnum filii), pneumatologiam (regnum spiritus sancti) respexerimus, observare licet, in regno primo realitatem negandam esse absolute universalem, in regno autem secundo et tertio in realitatem mundi nostri specialius attendi, ut inde contradictio atque necessitas intra certos fines referatur; certus enim mundus i. e. mundus hic noster, in quo Adamus peccavit, Christus carnem induit, negatur. Hanc igitur contradictionem fundamentalem *dogmaticam* vocaverimus.

Quemadmodum vero realitas universalis in realitatem hujus mundi transit, ita quoque realitas hujus mundi in realitates specialiores effunditur; atque hac via ad tertiam

contradictionis fundamentalis speciem, maxime quidem hypotheticam, sed quæ intra fines suos dialecticam tamen necessitatem afferat, *historicam* puta, pervenimus.

Sic autem comprobasse nobis videmur, omnem methodum per contradictionem ducere, omnem scientiam necessitatem momentorum se invicem excipientium exhibere, omnem dialecticam esse negativam.

§ 8.

Ea plenitudo objectiva, quam scientiæ ope in succum et sangvinem convertere conamur, ab his duabus partibus consideranda est. Ab altera parte analysis momentorum singulorum institui debet, ut momentum alterum alterius luce collustretur, ab altera vero parte, momentorum omnium totalitas ita nobis ante oculos sistitur, ut immediate aspici velit. Itaque omnis notio duplici modo definitur; notio enim intra terminos suos singularem, qua alias excludat, proprietatem habeat, necesse est, atque huc pertinet illud momentum individualitatis fixum et immobile, quod jam supra commemoravimus (cfr. § 2); sed notio tamen, quo constituatur, in alias notiones non potest non resolvi. Relationem, quæ inter notiones singulas intercedat, percipere, cum plura simul prehendamus momenta, comprehendere dici potest; individuale enim, quod cuique inest, ad intuitionem pertinet; quare scientia utrumque et comprehensionis et intuitionis momentum continet. Si notio modo per alias affines difiniretur omnis cessaret definitio; si enim quid sit A per B, quid sit B per C constituendum est, fugit in infinitum determinatio, atque ita umbra per umbram umbrata, omnia cognitionis lumina

exstingvuntur. Quod autem objecti quiescentis instar nobis ante oculos proponitur, positivitatis stagnationem neque vero intellectum profert. Hæc quoque identitas partis utriusque, in scientia formali adumbrata, in Deo autem absoluta est.

Qualis is, qui cogitat, tales cogitationes, inde definiri debet divina cogitandi ratio; conscientia sui realissima momentum positivitatis absolutæ in se continet; in voluntatis punctum, ut ita dicam, se contrahit, semetipsum affirmans, quo omnia vitæ suæ elementa possideat. Cum objectum sui se reddit, non umbram inanem, sed realitatem videt plenissimam; quare etiam cogitationes omnes, per quas is reflexus actus fit, ejusdem realitatis partem aliquam obtinent; nisi enim Deus absolutum suum הָֽנְנִי declararet, ad acumen individualitatis res ab eo positæ nunquam pervenirent. Cum vero ita semet ipsum et omnia ponat, omnia intuetur. Ponendo intuetur, quare substantia apparet absoluta; intuendo ponit, quia est libertas perfectissima: *verum est, quia Deus vult.* Verum si ea ratio vitæ devinæ solivaga esset, existentia omnis in monades dissiliret, destitutas, ut verbis Leibnitii utar, fenestris, per quas aliquid ingredi aut egredi posset. Sed ex ipsa Dei existentia individuali sequitur transitus ab altera in alteram cogitationem infinitus. Cum idem sit Deus, idemque sui conscius, qui omnia cogitat, diversa, quæ cogitat, secum invicem cohæreant, necesse est. Neque enim *punctatim* solum res singulas Deus, quæ ejus est scientia simultanea, intuetur, sed alteram quoque ex altera deducit, relationem omnium mutuam considerat; alias neque distinctissima esset scientia, neque

perspicuitas absoluta; — ut enim distinctio fiat, abstractionis momentum abesse non potest.

Idealitas cogitationis divinæ perfectissima postulat ea quidem, ut in unoquoque objecto reliquarum omnium totalitas adsit; ne vero tautologia eveniat, aliter in alio objecto plenitudo idearum insit, necesse est. Quare cum Deus objectum A cogitat, objectum B non potest non abstrahere — *punctum discriminis est punctum abstractionis.* — Qui igitur simultaneam atque intuitivam Dei scientiam admirari volunt, oblivisci non debent, cogitationes divinas systema efficere, et Deum cum singulas res intueatur, a momento, ut ita dicam initiali i. e. ab ipso nihilo in rem concretam — viam et quam immensam — percurrere; atque ita scientiam ejus immediatam ab æterno mediatam esse semperque mediari.

Ne vero quis objiciat, nos ita anthropomorphismos justo crassiores in Deum transferre, et verba Athanasii: „*o ludicram doctrinam ædificantem simul et demolientem*“ in nos transferat, hoc est quod etiam atque etiam inculcatum volumus, momentum abstractionis et mediationis non externo modo separari a momento cognitionis simultaneæ, sed comprehensionem atque intuitionem in idem concidere. Cum Deus semetipsum comprehendat, et cogitationes ejus vinculo necessario cohæreant, veritatem habet absolutam. *Deus vult, quia verum est.* Cæterum accuratior hujus rei expositio theologiæ speculativæ relinquenda est; hæc autem attigimus, ut typum scientiæ humanæ primarium proponeremus.

Conscientia sui humana, divinæ imago, momenta jam commemorata formaliter continet. Semper enim Ego in

Me et Me in Ego transit, semper cogitatio altera alteram excipit, in alteram resolvitur; qua ex parte comprehensionis momentum apparet, neque intuitio abest, cum enim *Ego Me* aspicit, aliquid positivum certe videat, necesse est; alias enim neque quid sit *Ego* percipi, atque ita nulla sui conscientia esse potuit. Momentum vero positivitatis atque intuitionis necessarium esse, ut realitate impleatur, facile liquet. Quæritur enim, quo comprehensio contingat, ut altero quasi mentis oculo teneatur plenitudo realis, quæ intuendi facultas non in universum solum, sed etiam in singulis notionibus, ut veram vim intensivam unaquæque notio obtineat, quærenda est. Hoc vel ex ipsa dialectica progrediendi ratione apparet; semper enim notio cum ex præcedentibus eruatur, aliis vocibus præformatur et depingitur, et tum demum ad ipsam ejus denominationem veram atque necessariam progredimur. Cur autem hujusmodi denominatio additur? Profecto, quia intuitionem quandam momenti positivi et specialis continet, quæ ut ipsam individualitatis aciem obtineat notio, necessaria est. Quare in ipsa Ontologia vis intuitionis agnosci potest. Nonne cum docetur, *esse purum* in nihil transire, aculeus dialecticus acrior esse videtur, quam ubi ostenditur ideam animæ mundanæ in ideam personæ absolutæ non posse non transire? Negari vix potest; ratio autem hujus rei non tam ad comprehensionem quam potius ad intuitionem pertinet. Nam ut universitatem rerum, nisi a persona contineri et comprehendi non posse, recte agnoscatur, postulant ut ex immediata vis personalis experientia unusquisque assentiatur. Neque hoc solum, sed quum Dei libertas absoluta non realitatem modo in universum, sed

etiam hunc mundum nostrum omniaque phænomena in eo obvia, constituerit, illa anticipandi necessitas semper epetitur. Quomodo igitur comparata sit ea libertas, universa ecclesiæ doctrina ante occupata, explicanda est, qua explicatione suscepta, ad phænomena demum historiæ specialiora transgredi licet. Hinc autem cognoscitur, quid sibi velit illa fidei necessitas, quam, ubi de vera scientia agatur, toties commendatam audimus. Personalitatis meæ negatione perficienda personalitatem Dei percipio; nisi autem esset personalitas mea realis, nullam profundiorem personalitatis notionem haberem, ut vero realis sit, *pia* sit necesse est; cognosse Deum est igitur Deum agnoscere, i. e. Deo se tradere; quare ut a parte objectiva omnia in existentiam non cogitantem solum sed etiam volentem absolvuntur, ita etiam; a parte subjectiva Deum cognosse non est cognitionis solum, sed etiam voluntatis se Deo submittentis[1]). Atque hoc habemus quasi punctum saliens, in quo argumentum, quod est pro existentia Dei, ontologicum, cum argumento conscientiæ sui religiosæ congruit; ut illud comprehensionem, ita hoc intuitionem

---

1) „Cum igitur hac luce agnoscatur auctor omnis conscientiæ sui humanæ, conscientiam accuratius definimus lucem, qua homo *creatura dei* manifestatur; quæ quidem cognitio semen et initia omnis religionis omnisqne cultus divini continet.“

I. Martensen De autonomia conscientiæ sui humanæ p. 12.

„Quum .... radix cujusvis intelligentiæ sit libertas, ita ut altera intelligentia sese cum altera communicare non possit, alteri realiter inesse nequeat, nisi libertate mediante: oportet hominem sese Deo libere subjicere; ut idea divina in animum ipsius realiter ineat, intellectuique ejus uniatur, i. e. oportet eum *credere*, ut intelligat. l. l. p. 17.

prodit. Fide atque experientia pia opus est, ut dogmata religionis christianæ recte explicentur (de doctrina anticipanda cfr. supra), cum in ea, utpote interiore veritate feta, ipsa momenta dialectica indagandi facultas lateat. Quæ fides nihil aliud est, quam ingenium ipsum a parte præstantiore ɔ: religiosa spectatum.

§ 9.

Ex ea autem ratione, quæ inter comprehensionem atque intuitionem intercedit, sequitur ut scientia nostra ante manifestationem vitæ divinæ perfectissimam, ɔ: ante ipsam beatitudinem perfici non possit. Notionis enim nostræ perspicuitas semper detrimento quodam plenitudinis realis vindicata est; quo magis in res concretas atque individuales tendimus, eo longius in hypotheticam libertatis regionem deducimur. Quid? quod disciplinarum circulus is est, ut quum altera alteram absolutam quærat, nulla consummari possit. Quamdiu diversæ illæ rerum spectandarum rationes, per sensus et per cogitationem puta, se invicem infinita alteratione excipiunt, ɔ: quamdiu hac in vita sumus, relativa scientiæ nostræ obscuritas (βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι) manet. — Neque hujus imbecillitatis causa nostræ solum conscientiæ tribuenda est; sensualitatis labe obscuratur scientia nostra, quia mundus noster sensualis est. Res nulla a nobis cognosci poterit antequam manifestata in lucem objectivam prodierit[1]). Quid juvat igitur in rerum natura, in historia,

1) Enhver Videnskab er en Viden om Noget, som Videnskaben ikke frembringer; men, som er der uafhængigt af den. *Mynster*:

in ipsa religione scientiam perfectam quærere, cum ea sit indoles τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ, ut in fragmenta disjecta dissipentur omnia vitæ elementa. Cum veritas ipsa sit, quæ cognitionem sui in animis nostris efformet, quomodo veritatem comprehendere poterimus, antequam ad manifestationem sui plenam pervenerit.

Atque hæc scientiæ nostræ limitatio est, quam vulgari modo ita exprimunt: nonnullæ quidem res intelligi possunt ab hominibus, sed non omnes, non altissimæ.

Si vero ita res omnes ad duas classes referuntur, earum, quæ comprehendi possunt, et earum, quæ non possunt, ut illæ a dextra, hæc a sinistra manu adsint: profecto inde sequitur, ut aut omnes aut nullæ comprehendi possint. Si enim a parte earum, quæ comprehendi possunt, egredimur, terminantur et definiuntur iis, quæ comprehendi non possunt, quare cum fines habeant absurdos, absurdæ sunt nec comprehendi possunt. Sin vero ab iis, quæ comprehendi non possunt, initium facimus, in eas, quæ comprehendi possint, exeant, atque ita comprehendantur ipsæ, necesse est. Ut exemplum hujus rei ex ipsa dogmatica petamus: Pelagiani omnes vitæ piæ actiones explicare sibi videntur, quando vires humanæ naturæ integras vindicant; Augustiniani contra, quo naturam peccati et regenerationis recte interpretentur, ad lapsum Adami toti generi humano pestiferum, ad gratiam Dei et justitiam provocant, monentes tamen, Deum Adami lapsum

---

Om Begrebet Dogmatik. § 4. Cfr. *Sibbern*: Om Erkjendelse og Grandskning. § 1. Scimus, quia accepimus: Al Erkjenden er en Finden, Modtagen og Skuen.

non prædestinasse; ultro etiam progrediuntur Calvinistæ, docentes Deum omnia prædeterminasse. Hi omnes, utpote qui phænomena vitæ piæ explicare, alterum cum altero conjungere conentur, *comprehendere* quidem volunt; cum vero punctum, ut ita dicam, non-comprehensibile, ab aliis alibi collocatum, clam introducant: eorum nemo ad rem comprehendendam pervenit. Putant quidem plerique Pelagianorum placita facilius comprehendi quam Augustinianorum et Calvinistarum; cum vero ea libertatis divinæ atque humanæ ratio, quam Pelagiani docent, omnipotentiæ et gratiæ divinæ aperte adversetur, cumque omnes humanæ actiones libertatis humanæ incomprehensibilis sint declarationes, omnes actiones incomprehensibile ubivis manifestant, atque ita comprehendi non possunt[1]). Calvinus non potest, quin, datis præmissis, conclusionem in gratiam intellectus humani protrahat; ut vero intellectui satisfaciat, omnia in absolutum Dei decretum, quod intellectum prorsus absorbeat, transfert, atque ita comprehendendi studio id efficit, ut nihil vere comprehendat.

Quare, quonam loco ponatur, quanam arte tegatur hujus intelligentiæ nævus, non ab ipsa rei natura sed ab alia re sive arbitrio subjectivo sive pietatis sensu pendet[2]).

---

1) De Augustino infralapsario cfr. Neander: Algem. Gesch. d christl. Rel. und Kirche. 2 Band. 3te Abtheil. pag. 876: „Aber es war dies doch eine schöne Inconsequenz welche aus dem Siege seines religiössittlichen Gefühls über seine dialektisch-speculative Richtung herrührte.

2) Itaque non omnino absurda sunt, quæ etiam hoc nostro tempore contra consequentias Calvini eo nomine proferuntur. Velut Guerike: Kirkengesch. p. 1020 not. 216. Die heilsam inconsequente Vorstellungsweise der Concordienformel im

Quae cum ita sint, divisionem illam externo modo institui non posse, in confesto est.

Cum vero punctum mysterii, ubi semel adest, omnia penetret; de scientia contra concludi potest, eam quoque, quando semel adsit, ad omnes res dilatari posse, si enim impedimento mysterii succumberet, nulla omnino esset, cum vis mysterii ubivis regnet; vel, ut aliis verbis eandem rem exprimamus, limitatio scientiæ nostræ non est metaphysica sed empirica. Eæ leges, quibus intelligentia nostra adstricta est, in æternum valent; quod etiam veritatis naturæ convenit, quadrat enim in veritatem, quod in Deum, eam haud procul a quolibet nostrum esse remotam (Ἡμῖν δὲ ἀπεκάλυψε ὁ θεὸς διὰ τȣ̃ πνεύματος αὑτȣ̃, 1 Cor. 2, 10):

Quare modo conscientia sui humana objectum divinum atque reale constanter teneat, momenta ejus sedulo per-

---

Verhältnisse zu der selbst gotteslästerlich conseqventen Calvins ist also kurz diese: Seligkeit und Heiligung ist nach beiden nur ein Werk der göttlichen Gnade, Verdammniss eine Folge der eignen Schuld. Während aber nun die Concordienformel demüthig bei diesem letzteren Satze stehen bleibt.... argumentirt Calvin weiter etc. Quando vero Guerikio addere placuit: Gott also hat selbst die Sünde der Menschen gewollt. Diese letzte, nothwendige, ob auch noch so bemäntelte Schlussfolge ...... hac nova conclusione afferrenda, in piam reverentiam, quam in Formula Concordiæ ipse laudavit, peccasse videtur; nec dubito, quin Calvinus, si etiam nunc in vivis esset, iisdem fere verbis, quibus intempestivam hominum curiositatem jam semel reprehendit, responderet: Arripiunt subito, fateor, profani homines in prædestinationis materia, quod vel carpant, vel cavillentur, vel allatrent, vel subsannent. At si nos absterret eorum procacitas, celanda erunt præcipua quæque fidei dogmata. (Institut. christ. rel. De prædest. cap. XIV).

lustret, rem ipsam sibi præsentem jam habet, (*quod petis hic est*), atque ita fines intelligentiæ absolutæ intrinsecus magis magisque dilatabuntur.

§ 10.

Ut vero uberius relativa scientiæ nostræ limitatio exponatur, relatio, quæ est inter dogmaticam et historiam speculativam accuratius considerari debet. Scientia nostra absoluta est, tum quia conscientiæ perspicuitatem habet absolutam, tum quia, quæ momenta realitatis continet maxime sunt universalia nec unquam abroganda. Inde autem sequitur, scientiam dogmaticam esse omnium realissimam. Abstractissimæ sunt notiones Ontologiæ, et historiæ scientia nimis hypothetica. Quare illud positivitatis momentum, quod ad negativum dialecticæ stimulum provocandum semper necessarium esse jam observavimus, in regione historiæ perfectam intuitionis perspicuitatem non obtinet, sed obscuritate sensuali infectus, facit, ut aculeus quoque dialecticus sæpius hebescat. Scientia autem dogmatica respicit ea quidem realitatem positivam, sed non specialissimas ejus modificationes, quo fit, ut contradictio semper prodeat, et comprehensio servetur. Hæc autem ejus natura repugnantiam quandam gignit. Realitas enim universalior, exstinctis phænomenis individualibus, ipsa evanescit, quæritur ita, ut complementum ubivis accedat, empiria vulgaris; — cum vero omnis empiria hujusmodi scientiæ negationem et limitationem efficiat, quæritur empiriæ vulgaris in speculativam transformatio ɔ: quæritur scientia historica.

Utrumque historiæ genus suam postulat fidem; fides

historica a parte vulgari per spiritum hujus mundi, qui realitatem trivialem spectat, a parte autem scientifica per spiritum divinum, qui realitatem idealem ponit, mediatur. Nonnullæ res in facto positæ sunt, de quibus utraque fides consentit; — aliæ autem eædemque haud paucissimæ discordiam utriusque movent.

Quæ cum postea accuratius nobis tractanda sint, hic praetereuntes attigimus, ut illucesceret, omnem historiæ intelligentiam scientiæ dogmaticæ inniti. Qui enim res a genere humano gestas, nisi vera libertatis idea percepta, comprehendam; libertas autem humana ex libertate divina intelligitur; quare ex idea religionis et revelationis comprehendi demum potest historia. Tantum igitur abest, ut nostro philosophandi et comprehendendi studio violetur historia sacra; ut, quando phænomena ejus externa ratione i. e. remota idea divina, proponantur, certe profanetur. Quare cum historia vulgaris semper sit profana, speculativa autem sacra, sacram oportet esse speculativam.

Pars IIda.

Historia sacra.

§ 11.

Quærit historia sacra, ut natura divina invisibilis phænomenis, quæ oculis cernantur, se exprimat; tollit igitur contradictionem, quæ est inter regionem rerum creatarum sensualem et regionem existentiæ divinæ spiritualem, cum spiritualia sensibus submittantur, ut sensualia luce spiritus illustrentur; tollit item antinomiam,

quæ intercedit inter libertatem creatoris et creaturæ, cum finitis vinculis restringi se Deus patiatur, ut libertas creata spatium deliberandi agendique habeat. Quemadmodum vero immediata utriusque regni et supranaturalis et naturalis identitas concipitur, ita diversitas quoque utriusque appareat, necesse est. Ut enim historia Dei sit sacra, Deus habendus est sanctus, ut sanctus agnoscatur Deus, ingenti majestate supra naturam creatam evehendus est. Hanc autem discrepantiam historia sacra ita removet, ut ad discrimen locorum et temporum revocetur. Nonnullis igitur locis nonnullis temporibus vita mundana, ut ita dicam, a vita divina discrepat et divulsa apparet, aliis autem locis temporibusque immediate prodit reconciliatio. Atque hinc nulla molesta discrepantia inter empiriam vulgarem et speculativam oriri potest; nam in regione sensibus subjecta naturas supranaturales oculis fidei ubique intuemur; cumque altioris rerum ordinis interventu hic noster sæpius interrumpatur, intellectus vulgaris absque omni tumultu speculativo, quando mysteria apparent, in captivitatem mittitur; quando autem redit ordo naturalis auctoritatem amissam mox recuperat. Ubi revelatio est, ibi semper ejusmodi ratio regionis utriusque mutua accedit; quare in revelatione absoluta i. e. in religione Christiana luculentissime apparet. Christum enim, de cujus apparitione evangelista solenni modo testatur: *Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο (καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς), πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας,* cum apostoli viderent: tum sane neque speciem solum sensualem neque ideam abstracte spiritualem, sed plenissimam divinæ et humanæ

naturæ identitatem conspiciebant, ut historia ejus vere dici posset sacra atque divina. Cum vero abiisset ad patrem, spiritumque emisisset, vita divina ita apostolos omnesque fideles penetrabat, facultas miraculorum perpetrandorum aderat, apparitiones geniorum coelestium accedebant, consilia divina in machinationibus hominum vel *τῶν θεομάχων* ita declarabantur, ut historiam apostolicam jure nostro sacram appellemus. — Neque post obitum apostolorum, cum insidiæ hujus mundi multiplicarentur, cumque adversarius iste noster implacabilis *novam fraudem excogitaret*, *ut sub ipso christiani nominis titulo incautos falleret*[1], fons ille revelationis exsiccari posse videbatur, immo quo magis inter populum momenta veri falsique commiscebantur, eo magis personis sanctis, præceptis fallendi nesciis, criteriis coetus christianorum verorum externis, præsentia Dei quovis modo conspicua opus erat. Itaque in afflictionibus et tenebris hujus mundi ecclesia, *a spiritu sancto*, *illi omnem veritatem indies suggerente*, *edocta* præclarissimas institutiones efformavit. Sacerdotes vicarii Dei prodeunt, visibilis rector, ne pulcherrima Christi *sponsæ* facies *maculam aut rugam contrahat*, unitatem visibilem constituit. In mystico sacramentorum nimbo Christus ipse conspicitur, miraculorum series indies crescit; atque in hac continua divinæ naturæ incarnatione omnes empiriæ vulgaris terminos transgressis coelum recluditur: apparent myriades angelorum majestatem Omnipotentis celebrantium, et pia *Mater Dei* stipata victorum martyrum corona, jubilantibus

[1]) cfr. Cyprian: de unitate ecclesiæ.

paradisi incolis, horrentibus infernorum monstris, *viatorum* precibus arridet. Atque ita terra et coelum, præsentia et futura, naturalia et supranaturalia divino ecclesiæ amplexu continentur, ut historia ejus Catholicis vere sit historia sacra.

§ 12.

Ea autem Catholicismi magnificentia contradictionem habet eamque fundamentalem. Semper ea est essentiæ natura, ut phænomenon sui constituat, quare cum spiritus sanctus non potuerit non formas et traditiones exhibere, summo jure dicitur: *Ubi spiritus ibi ecclesia.*

Cum vero institutiones spiritus sancti fallere nequeant, cum singulæ traditionis sententiæ et voces divinæ sint atque immutabiles, tum apparet absolutum veritatis objectum, ut perfecta sit ecclesiæ invisibilis et visibilis congruentia. Mens igitur humana, quando ad veritatem percipiendam aggreditur, nihil aliud agit, quam ut huic institutioni totam se tradat; tota cognitio ejus in eo constat, ut agnoscat, ecclesiam habere veritatem, quæ autem vera sint, præceptis *sanctæ matris* monstratur.[1])

Sic vero negligitur illa phænomenorum negatio et

---

1) Baur: Gegens. d. Kath. und Protest. p. 501—504.
Sollte jener freiere Begriff der Tradition seine Gültigkeit haben, so dürfte das eigene Urtheil des Einzelnen nicht schlechthin ausgeschlossen werden, es müsste jedem überlassen bleiben, die Unterscheidung, die zwischen Form und Inhalt, zwischen dem Wesentlichen und Unwesentlichen, dem Allgemeinen und Besondern gemacht werden soll, auch wieder auf alles dasjenige anzuwenden, was die Obern der Kirche als allgemeine Lehre der Kirche geltend machen. p. 505.

restauratio, de qua supra diximus (cfr. § 4), sensualismus quidam ecclesiasticus accedit, cum menti piæ veluti tabulæ rasæ imprimantur immutabiles spiritus sancti formæ, cumque non organon veritatis, sed forma formarum spiritus sancti constituatur, extrinsecus per empiriam vulgarem phænomena aspicit et in opinionibus meris acquiescit.[1]), atque ita laudatur sententia: *ubi ecclesia ibi spiritus.* Ut vero institutiones ecclesiasticæ sibi constent, quæruntur organa spiritus sancti primitiva i. e. sacerdotes. Qui cum neque coelitus descendant, neque eo ipso, quod nascantur, auctoritatem habeant, e laicis eligantur, necesse est; quare transitus a classe laicorum in ordinem sacerdotum maximi est momenti. Cum omnes laici, quorum quando de sententiis ecclesiasticis corrigendis et emendandis agitur, nulla nec ingenii nec eruditionis ratio habetur, eadem coecitate laborent, nulla illuminationis gradatio hac ex parte in censum venit. Ante ordinationem modo secundaria ratione spiritus adest; per legitimam demum ordinationem accedit spiritus sanctus, qui *characterem indelebilem* constituit. Ita spiritus quidem facit sacerdotem, si vero criterium præsentiæ spiritus quæritur, nullum aliud dari potest, quam ordinatio; quare nemo sacerdos fit, quia spiritum habet, sed spiritum habet, quicunque sacerdos est[2]). Neque per doctrinam sacerdotis cognosci potest spiritus, qui ei inest, veritas. Singuli enim sacerdotes licet spiritum habeant, mortales manent, qui

---

1) Den (ɔ: den catholske Kirke) udleder ikke sin Auctoritet af sin Christelighed, men sin Christelighed af sin Auctoritet. Dr. H. N. Clausen Cathl. og Protest p. 10. 11.

2) Quodsi rasuram, unctionem et longam tunicam tantum pos-

peccare et errare possint. Unde igitur probetur infallibitas singulorum sacerdotum nisi ex testimonio ecclesiæ; quare quam obedientiam laicus sacerdoti præstat, eandem sacerdos debet ecclesiæ. Quorum autem ore nisi sacerdotum loquatur ecclesia? Itaque sacerdotibus singulis omnium judicio submissis, *plurima vota valent.* Ut enim alter alteri verum vi veritatis persvaderet, neganda esset forma infallibilis; quæ negatio et disputatio, ubi uno loco semel invaluisset, ad omnes ecclesiæ partes cum inferiores tum superiores mox penetraret; atque ita evanesceret ipsa Catholicismi idea; nunc autem traditionibus externis nititur omnis disquisitio; cui accedit immediatum uniuscujusque judicium, quare consensus plurimorum semper in casu positus est[1]). Ad hanc difficultatem removendam parum facit, quod Catholicismus in hierarchia ordinis et jurisdictionis[2]) gradus diversos instituit; multiplicantur solum hoc modo alterationis artus. Quid enim juvat, quod presbyterorum placita ad episcoporum accommodantur, si episcopi sibi invicem contradicunt. Hinc igitur necessitas oritur ad gubernatorem visibilem confugiendi, ut viva vox spiritus sancti audiatur. Hac autem via pervenimus ad disceptationes illas notissi-

---

sunt ostendere pro suo sacerdotio, permittimus illis gloriari. Lutherus de instituendis ministris. Cfr. Dr. F. C. Baur. Der Gegensatz des Chatol. und Protest, p. 475.

1) Denn ich glaube weder dem Pabst noch den Concilien allein nicht weil es am Tag und offenbar ist, dass sie oft geirrt aben, und ihnen selbst sind widerwärtig geweszt. Lutherus.

2) cfr. Claus. Cathol. og Protest. p. 94. f.

mas, quæ inter Episcopalistas et Curialistas geruntur[1]). Episcopalismum autem mediocritatem catholicam efficere satis constat.

Ut igitur magnificentia ecclesiæ catholicæ ita qúoque contradictio ejus in persona papæ manifesta est. Papa enim ab altera parte homo est et peccato obnoxius, ab altera vero parte vicarius Dei, cui plenitudo vitæ spiritus inhabitet; quando autem ut papa ex spiritu sancto loquatur, quando rursus ex suo arbitrio agat, quis exploret? Concilia enim, quæ totalitatem vitæ spiritualis habere credideris, auctoritati papæ subjecta sunt; atque ita objectiva Catholicismi idea, cum fastigium, ut ita dicam, objectivitatis nacta sit, in arbitrariam subjectivitatem, quæ infallibilis sit, quod infallibilem se prædicet, evanuisse, scientia protestantica dudum ostendit[2]). Quare omnes institutiones catholicæ, quæ quidem sic comparatæ sunt, ut possint esse spiritus sancti formæ, possunt quoque, cum extrinsecus captentur, abstracto modo per se retineri,

Meras igitur formas acclesia sæpe offert, et opinio falsa in eo constat, ut qui formas habeat, spiritum quoque

1) cfr. Clausen: Cathol. og Protest. Det curialistiske System p. 14—26. Det episcopale Kirkesystem 43—52.

2) Clausen l. l. p. 58.

Curialismen danner i Kirken et theocratisk Monarchie, saa uindskrænket, at det i Virkeligheden maa gaae over til Despotie, thi det bekjæmper ikke alene ydre Forhold og Forbindelser, men ogsaa ethvert enkelt Menneskes aandelige Personlighed, enhver Yttring af selvstændig Tænkning og Villie; og til Gjengjeld fratager Kirken sine i Troen lydige Borgere alt Samvittigheds Ansvar, og skjenker dem uforstyrret Tryghed og Ro; men det er Dödens Ro paa slagne Fienders Grav.

habere credatur. Quæ cum ita sint, non mirum est, quod, abalienatio spiritus et veritatis a phænomenis externis eo sæpe progressa est, ut ne honestæ quidem formæ manserint; quodque Catholicismo accidit, ut licet testimoniis historicis maxime confidat, iisdem tamen sæpe erubescere cogatur[1]).

§ 13.

Catholicismus cum perfectum veri objectum spectatori proponere conetur, semper eo tendit, ut conscientia sui humana oculos a semetipsa in res externas convertat. Inde vero sequitur, ut objecta regni divini imaginum limitationibus æquent terrestria, atque hinc sanctorum profanatio. Cum vero coelestia terrestri habitu induerint, terrestria, utpote quæ divinitatem inclusam habeant, ad auctoritatem divinam evehenda sunt, atque inde profanorum sequitur veneratio[2]). Quæ confusio elementorum barbara cum in theocratia gubernationis, in scholasticismo scientiæ, in operibus vitæ piæ operandis satis apparuisset, conscientia sui a sese jam diu exulans in semetipsam viis omnibus redire coepit[3]). Quærenti

1) Baronius „significavit suo Jac. Sirmondo, nihil se æque reformidasse, quam pervenire ad hoc tempus (ɔ: magni Schismatis Occidentis) de quo, quid statuendum non esset libere pronuntiaturus“ l. l. p. 49.

2) cfr. Hegel: Geschichte der Philosophie. 3ter Band p. 253. seqq.

3) Hegel l. l. p. 267. Die andere Seite ist, dass das Ewige, was an und für sich wahr ist, auch erkannt, aufgefasst werde durch das reine Herz selbst; der eigene Geist macht sich für sich das Ewige zu eigen. Das ist der lutherische Glaube ohne anderes Beiwesen (die Werke, wie man es nannte).

autem, qui tandem fieri posset, ut tanta ecclesiæ ruptura existeret, respondere licet, nulla alia ratione pravitatem funditus corrigi potuisse, nisi negatione phænomenorum ad essentiam penetraretur, nisi distinctio inter ideam et formam, inter ecclesiam visibilem et invisibilem atque adeo contra hierarchiam rebellatio fieret. Ubi enim mens cognoscentis hominis nihil aliud agit, quam ut alienæ auctoritatis mancipium fiat, ibi magna semper inter objectum veritatis et spectatorem distantia est; atque in hoc positivismo oscillatio perpetua inter obedientiam et rebellationem observari potest. Obedientia coeca est, quatenus subjectum obstringitur, ut extra se quærat substantiam; rebellatio autem oritur, cum ea substantia ejus naturam efficere non videatur, sed sicut vis aliena timorem injiciat; quare Catholicorum *fides* est ratio *servitutis*, et diffidentiam aliquam semper continet.

Ut verum luce veritatis aspiciatur, ratio objectiva rationem subjectivam penetret, necesse est; ut rem ipsam non minus certe et firmiter quam nostram nostri conscientiam possideamus.

Quæ relatio ubi immediate apparet, fides revera dici potest. Per ejusmodi fidem tantum abest, ut vita subjectiva objecti vinculis restringatur, ut subjectum, cum intelligat, alimentum se capere ex objectivitate, plena fiducia objecto se tradat; atque hæc est fides protestantica, quæ fractis positivismi vinculis, libertatem constituit realem. Eo igitur libertatis palladio deprehenso, quænam phænomenorum præstigiæ mentem seducere, quænam vis externa animi firmitatem concutere posset? Ita constitit ille vir Dei, quem Protestantium facile princi-

pem grato animo laudamus, lumbos veritate accinctus traditionum et fabularum nebulas dispersit, clypeo fidei munitus tela tyrannidis ecclesiasticæ ignita restinxit[1]), stricto gladio spiritus, profana superstitionis idola[2]) verbo Dei aggressus est. Hinc prima κρίσις; — decidit fucata pulchritudo et in lucem protracta est historia errorum humanorum.

§ 14.

Neque tamen dissolvit prima crisis nexum inter regnum naturale et supranatule; commutabat quidem fides elementa externa in momenta spiritus interna, ut versicolor imaginum apparatus projiceretur; sed nihilominus boni angeli[3]) vultu hilares coelitus prospiciebant, et diabolus, *ista Dei simia*, sexcenties transformatus, homines lacessebat[4]). Neque vero eo usque progressa est libertas negandi,

1) Es thut dir wehe im Herzen mein fröhlicher grosser Muth. Ich bin aber, und will, ob Gott will, auch bleiben, gegen dir und Ecken, Pabst und eurem Hauffen, auch dem Teufel, mit Gottes Hülfe, in einem beständigen, hochmüthigen, unerschrocknem Geist, und euch trotzen und verachten ... Luthers Schutz-Schrifften v. An. 1524 wied. Hier. Emsern u. Paris. Theologos etc.

2) Hörst du es, Pabst, nicht der Allerheiligste, sondern der Allersündigste, dass Gott deinen Stuhl vom Himmel auf's schierste zerstöre und in Abgrund der Hölle senke. cfr. Pfizer L. L. p. 161.

3) Luther: Dass man also Cherubim verstehe für Engel, die da erscheinen, nicht mit einem runtzlichten, noch traurigen Angesichte, sondern mit einem fröhlichen Geberde, und vollem feistem Angesichte .... Ausleg. des 3ten Capit. des 1sten Buchs Mose.

4) *Idem*; Er (der Teufel) ficht mich selbst offtmahls so gewaltig an, und überfället mich so hefftig mit schweren und

ut nulla veri species infallibilis relinqueretur; immo, quo magis offendebat præsens ecclesiæ corruptio, eo libentius ad prototypum ejus confugiebant; quo audacius divinitatem traditionum respuerant, eo firmius primitivam evangelii formam amplectebantur. Seculum apostolicum ecclesia catholica singulari modo extulerat, libros ejus ut canonicos receperat, quare cum in iis libris puram veritatis faciem conscientia pia aspexisset, *Scriptura Sacra* ceu columna fidei arripiebatur.

Quod tamen non ita intelligendum est, ac si infallibilitas Scripturæ Sacræ ad frigidam positivismi normam laudaretur, ut ratio rei hæc esset: Catholicismus de absoluta doctrinæ suæ et apostolicæ conformitate jam diu gloriatus, diutius etiam alta pace gloriaturus erat, nisi theologi quidam forte in Scripturam Sacram incidissent, eaque attentius lecta, comparationem instituissent. Non ita fieri potuit; nisi enim de multis Catholicismi placitis dubii jam hæsissent, ad ecclesiæ normam scripturam explicuissent. Sed veritas semper est ubicunque præsens, quare cum depravatum involucrum removissent, spiritus ille, qui ecclesiam nunquam relinquit, confestim apparuit. — Itaque hoc bene tenendum est, cum Protestantium antesignani ad Scripturam ceu ad supremam veri testem iterum iterumque provocarent, hoc eos facere potuisse cum veritas ipsa esset scripturæ testis, ut spiritum non verba

---

traurigen Gedanken, dass ich meines HErrn Christi gar vergesse .... ist er dennoch heimlich bei uns, schleicht Tag und Nacht um uns her .... Ausleg. d. Epistel a. d. Galater Cap. 3.

ejus venerarentur. Ex re ipsa proficiscebatur, ut Reformatores, cum[1]) traditionum a sacris litteris discrepantiam observassent, inque traditionibus non tam ideæ Christianæ efformationem quam potius depravationem viderent, Scripturæ et *perspicuitatem* et *sufficientiam* magnopere laudarent[2]); sed observandum est, illos in ecclesia catholica educatos eique summa animi sinceritate olim deditos, totalitate doctrinæ ita fuisse imbutos, ut, quod interpretatio eorum satis superque comprobat, dogmata fidei primaria non tam ex scriptura haurirent, quam potius in

---

1) Was Christum nicht lehret, das ist noch nicht apostolisch, wenn es gleich S. Petrus oder S. Paulus lehrete. Wiederum was Christum prediget, das wäre apostolisch, wenns gleich Judas, Hannas, Pilatus und Herodes thät. Luther: Vorrede auf die Epistel St. Jacobi. Conferri potest etiam: Ein Stück der Vorrede auf das N. Testament: Welches die rechten und edelsten Bücher des Neuen Testaments sind. An. 1524.

2) Da erdencken sie eine neue Lüge, finden Degen und Spies und dergleichen Narrenwerk, und sprechen: Die Schrift sey so finster, dass wir sie nicht mögen verstehen ohne der heiligen Väter Auslegung .... Wenn sie denn nun einen Spruch der Väter wieder mich aufbringen, so läuten sie alle Glocken, schlagen alle Drummeln, und schreien feindlich, sie haben gewonnen. Luther: Von dem bleyern Degen Bocks Emsers.

Atque quanto magis ad fidei substantialitatem neque ad operum accidentalitatem omnia revocabantur, eo facilius ostendi poterat sufficientia. Ita quum ad loc. Joh. 21, 25. Catholici provocarent: So kommen dieser Ausleger daher und sagen also: Es ist nicht alles geschrieben, was wir thun sollen. Danck habt ihr guten Gesellen, ihr wisset der Schrifft Auslegung wohl zu geben. l. l.

ea agnoscerent; et licet allegoriis Catholicorum, quibus hi adhibitis omnia in usum suum detorquebant, adversantes, sensum litteralem et locorum collationem inculcarent, nihilominus tamen totalitatis luce illustratam volebant scripturam, ut Vetus Testamentum non sine Novo explicaretur [1]). Neque hoc mirum, cum in diversitate temporum idem esset spiritus sanctus, qui licet ad Judæos diceret, de Christo posset cogitare [2]).

---

1) Die heilige Schrifft dringet vielmehr auf den Sohn, als auf den Vater: denn die ganze Schrifft ist um des Sohnes willen geschrieben: darum sind auch im alten Testament mehr Sprüche oder Zeugnisse vom Sohne als vom Vater. — Luth. Schrifft. III. 4. Denn da steckt es, da liegt es, da bleibt es wer diesen Mann, der da heist Jesus Christus Gottes Sohn, den wir Christen predigen nicht recht und rein hat, noch haben will, der lasse die Bibel zu frieden, das rathe ich, er stöst sich gewisslich und wird, je mehr er studiret, je blinder und toller.

Wenn es nun sollte Wünschens und Wählens gelten, entweder, dass ich S. Augustini und der lieben Väter, das ist der Apostel Verstand in der Schrifft sollte haben, mit dem Mangel, dass S. Augustinus zuweilen nicht die rechten Buchstaben oder Worte im Ebräischen hat, wie die Jüden spotten .... ich liesse die Jüden mit ihrem Verstande und Buchstaben zum Teuffel fahren, und führe mit S. Augustini Verstande ohne ihre Buchstaben zum Himmel. Auslegung der letzten Worte Davids 2 Sam. 23, 1—7. Schr. IV. 303.

2) Ita Lutherus ipse non abstinet, quin contra principium ipsius spiritualem sensum interdum addat: velut ad Genes. c. 9. de Noache: Darum willst du es ohne Gefahr deuten, so deute es auf den HErrn Christum. Denn wie *Noah den Weinberg pflanzet und des Weins trincket*, davon *truncken wird* und hinschläfft, *und bloss in der Hütten*

Hinc igitur incipit ille phænomenorum negandorum et restaurandorum actus, de quo supra diximus. Lutherus enim quando ad scripturam legendam, ad traditiones dijudicandas, aggreditur, veritatis spiritus in animo ejus præsens est, ut non ex suo arbitrio judicet. Unde vero accedit ille spiritus? Non ad modum *Enthusiastarum* ratione extraordinaria infusum illum habebat[1]); sed per totalitatem cum traditionum tum scripturæ ad eum penetravit. Atque ita vera momenti objectivi et subjectivi reconciliatio contigit; subjectiva enim libertas in eo cernitur, quod nulla sententia extrinsecus data, coecam venerationem movet; sed objectiva realitas servata est, cum nonnisi per phænomena objectiva ad veritatem perveniri posse agnoscatur[2]). Hinc verus quoque transitus a mera spiritus uni-

---

lieget, und wird von diesem verlachet, aber von andern *zugedecket*: also ist es auch Christo ergangen.

1) Amsdorfio de novis prophetis scribit: „Durch die Zwickauer Propheten lasst Euch nicht so schnell bewegen! Ihr habt ja Zeugnisse der Schrifft, die Euch sicher machen, dass Ihr nicht sündiget, so Ihr sie hinausschiebet und zuerst die Geister prüfet, ob sie aus Gott sind ... Mir wahrlich ist das dem ersten Anblick nach gar verdächtig, dass sie sich der Gespräche mit der göttlichen Majestät rühmen.

2) So Gott sein Heiliges Evangelium hat aus lassen gehen, handelt er mit uns auf zweierley Weise. Ein äusserlich; das andere mahl innerlich. Aeusserlich handelt er mit uns durch mündliche Wort des Ewangelii und durch die leiblichen Zeichen, als da ist, Tauffe und Sacrament. Innerlich Handelt er mit uns, durch den H. Geist und Glauben sammt andern Gaben .... also, dass er's beschlossen hat, keinem Menschen die innerlichen Stücke zu geben, ohne durch die äusserlichen Stücke. Wieder die himmlischen Propheten. Schrifft. XIX, 186.

versalitate ad definitionum ejus singularitatem fieri potest; universalis enim veri idea, cum traditionibus singulisque scripturæ locis negandis illuxerit, ad formas negatas restaurandas semper tendit; vel ut aliis verbis eandem rem exprimamus, Lutherus quando statuebat, sententias patrum ad normam Scripturæ Sacræ et singulos Scripturæ locos per fidem Christo habitam esse explicandos, non eam Christi veri ideam a singulis determinationibus divulsam habebat; sed semper, quando Christum cogitabat, de singulis quoque locis Christum describentibus cogitabat[1]) improbissimus ille vel minimarum scripturæ partium perscrutator[2]).

Atque in hac perfecta momentorum volubilitate spiritus objectivus vere aderat, Lutheri animum organon sui parabat, qui *per fidem*, ut ἄνθρωπος πνευματικός, omnia dijudicaret[3]). Contionatores igitur plena persvasione ad

---

1) Also weiset er uns allenthalben in die Schrifft, warum das? Darum dass du kannst bewahren den Christlichen Glauben. Es ist mir wohl selbst begegnet, wenn ich das Wort habe fahren lassen, dass ich Gott, Christum und alle mit einander verlohren habe. *Es ist auch kein leichterer Weg alle Artickel des Glaubens zu verlieren, denn ausser der Schrifft daran zu gedencken.* III. Predigt Ueber das Evangelium am Ostermont. Luc. 24, 13. 25. zu Coburg geh. 1530 Schriffi. XV. 631.

2) Ach es ist Dollmetschen ja nicht eines Jeglichen Kunst, wie die tollen Heiligen meinen; es gehöret dazu ein recht fromm, treu, fleissig, furchtsam, christlich, gelehrtes, erfahren, geübt Herz. cfr Pfizer l. l. p. 843 - 852.

3) Ich will mich hören lassen, und wie St. Petrus lehret, meiner Lehre Ursach und Grund beweisen für alle Welt, und sie ungerichtet haben von jedermann auch von allen Engeln.

prædicandum impulsi, non poterant, quin homines contradicentes aut deceptos aut mendaces esse declararent, ita autem, cum homines mortales essent et contra infallibilitatem mortalium prædicarent, sibimetipsis prædicando contradicere videbantur. Ea autem contradictio solvebatur, cum distingverent inter doctrinam, quatenus ab ipsis concepta traderetur, et veritatem, quatenus rationibus objectivis inesset, formamque in S. Sc. primariam haberet [1]). Ea distinctio, quæ nec simulata erat nec firmitatem persvasionis subjectivæ imminuebat, respectu auditorum habito, fieri debebat; auditores enim, si vel perfectissimam veri expressionem oratio obtulisset, quæ audita essent, nisi exploratione adhibita, sua facere non poterant; firmitas autem fidei prædicatori manebat, cum quæ ipse sibi persvasisset, aliis quoque disquisitione solida instituta, persvadere posse speraret, et diversitatem, si quæ restaret, ad limitationem utriusque partis subjectivam referre; — quare non in eo quærebatur concordia, ut omnes easdem proferrent sententias, sed ut veritatis plenitudo singulorum desideriis satisfaceret. Veritas igitur non est nisi mentis explorantis [2]) non mortuis contenta sententiis sub-

---

Den sintemal ich ihr gewiss bin, will ich durch sie, euer und auch der Engel (wie St. Paulus spricht) Richter seyn, dass wer meine Lehre nicht annimmt, dass der nicht möge selig werden.

1) Nicht also du Narr, höre und lass dir sagen, Zum Ersten bitte ich man wollt meines Namens schweigen und sich nicht Lutherisch sondern Christen heissen. Was ist Luther? Ist doch die Lehre nicht mein. Luthers tr. Ermahn. a. all. Christen Schrifft. XVIII. p. 289.

2) Für das erste (scil. werden die Geister geprüfet) durch ein

jecta viva appetit, ut in singulorum conscientia singulari modo manifestetur, quare quot subjectivitates tot veritates; ne tamen dissipatis elementis singulorum particularitate pereat, confessores sui congregat, disputationes provocat. Itaque Reformationis ætas non tam *Conciliorum* seculum dicendum est, quam potius *Colloquiorum*. Concilia enim Hierarcharum sunt, qui auctoritate spiritus audita, per setentiarum comparationem votorumque numerationem laicorum more veritatem tractant; colloquia autem Laicorum, qui, nimbo infallibilitatis posito, fidem fidei, subjectivitatem subjectivitati objectivæ veritatis nomine ita opponunt, ut singuli hoc igne purgati, sacerdotes vere eveniant[1]). In hujusmodi autem disputationibus duo momenta observanda sunt; qui enim disputant, ab altera parte habent suam quisque spiritualem plenitudinem, cui *ad intra* universali modo mens adstricta tenetur; ab altera vero parte discriptio hujus subjectivitatis atque defensio *ad extra* vergit; eam igitur singulis sententiis definire

---

innerlich Urtheil, da ein jeder Christ durch den Heiligen Geist und Gottes Gnade, für sich und sein Gewissen, also erleuchtet ist, dass er aufs allergewisseste schliessen und urtheilen kann von allen Lehren.

Und diese Gewissheit gehört zum Glauben, und ist von nöthen einem jeden Christen, ob er gleich nicht ein Prediger oder in öffentlichem Amte ist. Luth. w. Erasm. Schr: *XIX*, 38.

1) Non mirum igitur, si papa ad concilium protestantium causa convocandum non tantopere festinaret; volebat enim ille imperare, hi autem „*in generali, libero et christiano concilio causam dicturi*," disputare.

singulisque rationibus munire conantur, ut ita se invicem corrigendo plenam obtineant veritatem. Verum ut hac via omnes difficultates removeantur, quæritur, primum ut quæ in uniuscujusque animo semper inest, pars mystica atque nocturna in claram conscientiæ lucem prodeat, quo perfecta eveniat subjectivitatis descriptio; quod ante consummationem hujus mundi fieri vix poterit; deinde, ut veritatis subjectivæ declaratio non confessionis instar detur, sed ad necessitatem veræ methodi revocetur, quod ab ingenio illius ævi alienum erat.

Jtaque in illis prædicationibus atque disputationibus non tam notionum perspicuitas, quam spirituum potius familiaritas agebatur [1]). Atque ea animorum familiaritas valida Doctoris illius voce excitata ecclesiam confessionis nostræ condidit; tantaque celeritate illa res successit, ut, cum a Comitiis Wormatiensibus Lutherus subjectivus, ut ita dicam, anathemate plexus abiret, post minus quam decem annos Lutherus objectivus in Comitia Augustana emendatorum sacrorum benedictionibus corroboratus rediret. Qvemadmodum igitur Lutherus ipse licet fidei suæ tenacissimus ad objectivum Verbi Dei testimonium semper provocavit, ita Confessio quoque Augustana non Scripturæ Sacræ dignitatem sibi arrogat, sed omnem ex ea auctoritatem derivat [2])

1) Quare cum in colloquio Marpurgensi, postquam omnia a metaphysicis inde corporis qualitatibus usque ad minimas scripturæ particulas frustra disputata sunt, Lutherus Zwinglio manum inter lacrymas porrigenti scite dixit: Ihr habt einen andern Geist, denn wir.

2) Offerimus in hac religionis causa nostrorum concionatorum

§ 15.

Organismum externum, qvem spiritus objectivus intrinsecus sibi fingit, intrinsecus quoque labente tempore consumit. Qvamdiu vero in interno destruendi opere occupatus est, licet forma deflorescat et vigor senescat, eadem tamen lineamenta manent, et omnia sunt tranquilla; quando autem maturitas venerit, parturit ætas, concutiuntur vitæ elementa, atque inter dolores vehementissimos nova rerum facies erumpit. Ingenium protestantismi servitutem catholicam indigne ferens, libertati subjectivæ ita frena laxaverat[1]), ut ipsi ejus antesignani inde sæpius horrescerent, qvare non mirum est, quod si torrenti aggerem, quoad fieri potuit, exstruere sunt conati. Sed ad doctrinam solidam constituendam nihil aptius esse potuit, quam publica illa fidei declaratio. Distantia enim, quæ, ut fert rei ratio, semper inter objectivam scripturæ veritatem et mentem subjectivam adest, cum in illa opinionum confusione ad sacrum codicem omnes confugerent, mox detecta, non tam de auctoritate scripturæ qvam potius de vera ejus interpretatione agebatur; nullum vero aliud interpretationis veræ criterium dari potest, quam hoc, ut per scripturam ad semetipsam redeat conscientia sui. Hujusmodi autem criterium præstiterunt protestantium symbola.

---

et nostram confessionem, cujusmodi doctrinam ex scripturis sanctis et puro verbo Dei hactenus illi in nostristerris.... et in ecclesiis tractaverint. Præf. ad Cæs.

1) Quod Luthero scripsit Ulrichus Huttenius: Wache auf die edle Freiheit! adhortatio erat, quæ cum satis personuisset, milites longe diversos ad arma vocavit.

Ita oppositio quoque inter subjectivitates diversas in singulis coetibus restringebatur. Fides enim subjectiva, quam protestantismus externis armis debellare non potest, cum vi illa familiaritatis interna, ut publicæ confessioni assentiretur, inque ejus doctrinæ summa se ipsa agnosceret, adducta esset: tum sane fiebat, ut singuli singulis non amplius opponerentur, sed fides uniuscujusque subjectiva ad omnium fidem objectivam dijudicaretur[1]). Hinc autem coepit externa quædam limitatio, cessavit audacissima illa formarum et phænomenorum negatio; cumque, violata confessionis auctoritate, violaretur veritas ipsa, eos autem, qui veritatem in mendacium pervertissent, ex ecclesia ejici, in carcerem mitti oporteret: arma quoque civilia in promtu erant[2]). Neque tamen disquirendi et

1) Omnino Philippus Melanchton privatus hanc insignem mutationem (de confessione variata dicitur) fecit, inconsultis, quorum communis causa agebatur. Quare statim ac ista innotuit, improbavit illam elector Saxoniæ, Johannes Fredericus, misitque ad Melanchtonem cancellarium Pontanum, qui eum objurgaret .... Walch: Introductio in libr. eccl. Luth. symb. p. 188.

Testatur idem quoque sæpius castigatus de doctrina sua: Non gigno novas opiniones, nec aliud majus scelus esse in Ecclesia Dei sentio, quam ludere fingendis novis opinionibus, et discedere a Prophetica et Apostolica scriptura et consensu vero Ecclesiæ Dei. *Sequor autem et amplector doctrinam Ecclesiæ Vitebergensis et conjunctarum, qui sine ulla dubitatione consensus est Ecclesiæ catholicæ.* Melancht. Opera p. I. p 148 Locor. Theol. præfatio.

2) Ut disciplinam Calvinistarum taceamus, conferri possunt, quæ in litibus cryptocalvinisticis evenerunt. Walch. Historische und Theologische Einleitung in die Religions-Streitigkeiten 1 Th. 2 Cap.

obloqvendi studium erat inane aut ad curiositatem qvandam hominum atque rixandi cupiditatem referendum. Fides protestantica non potuit ea qvidem, qvin in ipsis reformationis primordiis adeo in immediatam conscientiæ pietatem duceret, ut non dogmata solum a rebus historicis[1], sed momenta qvoque eorum practica a mysteriorum objectivitate distingvere inciperet[2]; sed qværit tamen eadem fides (ὑπόςασις), qvo in substantia sua plene acqviescat, ut firmissima sit de fundamento, cui nitatur, persvasio; si enim ipsa sui rationem efficit, semetipsam tollit. Qvare fides, simulac contradictione irritatur, mox ad objectivitatem objecti sui considerandam i. e. ad cogitandum

---

1) Denn wo ich je deren eines mangeln sollte, derer Wercke oder der Predigt Christi; *so wollte ich lieber derer Wercke, denn seiner Predigt mangeln.* Denn die Wercke hülffen mir nichts; aber *seine Worte die geben das Leben*, wie er selbst sagt Joh. 5, 51. Vorrede auf das N. T. XII. 55.

2) Mysteria divinitatis rectius adoraverimus, qvam vestigaverimus .... Proinde non est, cur multum operæ ponamus in locis illis supremis, de Deo, de unitate, de trinitate Dei, de mysterio creationis, de modo incarnationis ... Reliqvos vero locos, peccati vim, legem, gratiam, qvi ignorarit, non video qvomodo Christianum vocem; nam ex his proprie Christus cognoscitur, siqvidem hoc est Christum cognoscere beneficia ejus cognoscere. Melancht. Loci com. præfatio ed. principis (ad ann. 1521 ref.).

Hinfürder lehret er (Carlstad) uns was Frau Hulda, die natürliche Vernunft zu diesen Sachen sagt: gerade als wüsten wir nicht, dass die Vernunft des Teufels Hure ist und nichts kann denn lästern und schänden alles, was Gott redt und thut. Wieder die himmlischen Prophet. Schrifft. XIX p. 199 cfr. Von Frau Hulda der klugen Vernunft Doctor Carlstads. Schrift. XIX p. 208.

transit[1]); qvanam autem via transitus fiat, alia qvæstio est.

Fides absoluta totum hominem Deo tradit atque submittit, quare ut a parte practica ingens naturæ corruptio et bonorum operum vilitas agnoscitur, ita etiam a parte theoretica ratio obscurata in obedientiam fidei revocatur[2]). Neque arbitraria illo tempore erat rationis coërcendæ severitas; ratio enim intelligebatur intellectus vulgaris, qui

---

1) Ita Lutherus qvoqve, dum rationem objurgat, nihil non agit, qvo rationibus objectivis imaginibusque relationum metaphysicarum doctrinam suam defendat; qvare etiam, *ne usus passionis pro facto passionis neve qvod pro qvaliter sumatur*, disertis verbis ad cogitationem confugit: Gilt Denken und ist genug, so will ich auch denken, besser denn sie . . . cfr. Bekäntniss vom Abendmahl Christ. XIX, 440. Melanchthon hunc transitum a subjectivitate in objectivitatem satis ostendit, qvi cum in qrima locorum editione (1521) mysteria trinitatis, incarnationis etc. omiserit, in posterioribus tamen editionibus ea non solum addidit, sed etiam explicare conatus est. Cfr. Edit. ann. 1543 absoluta (In Opp. Viteb. 1580 pars I pg 148).

Filius dicitur Imago et λόγος. Est igitur imago cogitatione Patris genita, qvod ut aliqvo modo considerari possit, a nostra mente exempla capiamus . . . . Mens humana cogitando mox pingit imaginem rei cogitatæ, sed nos non transfudimus nostram essentiam in illas imagines . . . . At Pater æternus sese intuens gignit cogitationem sui, quæ est imago ipsius non evanescens, sed subsistens communicata ipsi essentia . . . . Dicitur λόγος, qvia cogitatione generatur. Dicitur Imago, qvia cogitatio est imago rei cogitatæ . . . . De Filio pg. 152.

2) Hominis intellectus et ratio in rebus spiritualibus prorsus sunt coeca, nihilque propriis viribus intelligere possunt. Form. Concord. Cfr. Hase: Hutterus red. 3 Aufl. pg 65 etc.

cum omnes notiones extrinsecus abstrahat (cfr. § 5) fidei utpote intrinsecus omnia consideranti, non potest non adversari. Veram igitur et salutarem Dei cognitionem ex singulari revelatione hauriendam esse theologi illius ævi maximopere inculcant[1]). Quæstio autem est, quomodo conscientiæ fere prorsus obscuratæ revelatio fieri possit. Quanto major inter Deum sanctissimum et naturam depravatam intercedit diversitas atque discrepantia, tanto mirabilior ea efficacia est, qua paries intergerinus destruatur. Quærit igitur revelatio naturæ transformationem, quærit præsentiam ejus, qui supra naturam est, in natura conspicuam, quærit immediatam momentorum sibi maxime contrariorum identitatem, quærit denique miraculum. Deus autem per miracula cognoscendus in phænomenis suis hunc in modum cognoscitur. Audiuntur verba Dei, apparent species coelestes, quæcunque auribus et oculis percipiuntur, res sunt in facto positæ spectatori veneranti oblatæ. Omnes igitur, quæ phænomenis innotescunt, veritatis divinæ mysteria sunt revelata. Sed in mysterio revelato contradictio latet, quatenus enim revelatio fit, in regionem phænomenorum descendit mysterium, in eo descensu apparet momentum ejus naturale, ut hac

---

1) Datur qvidem revelatio naturalis, sed prorsus mutilata: Ut post splendidæ domus conflagrationem favillæ et adustæ particulæ, aut post collapsum gravissimo casu ædificium rudera nonnulla remanent, ita quoque vix tenues qvædam reliqviæ ac ἐρείπια divinæ imaginis et parvæ scintillæ primævæ lucis, qvæ in mente hominis ante lapsum fulgebat, in natura jacente et misere prostrata supersunt. Qvenst. Theolog. Pars I p. 7. Θέσις XIII not. III.

ex parte ab aliis phænomenis distingvi non possit; quatenus autem mysterii manifestatio est, momentum supranaturale continet, et ab aliis phænomenis toto coelo distat; per mysterium igitur distinctio fieri debet; ubi vero phænomenon qvo divinum esse agnoscatur, mysterii cognitionem qværit; mysterium autem cognosci non potest nisi divinitate phænomeni agnita: revelationis cognitio revelationem postulat, cognitio mysteriorum et miraculorum miraculum est.

Qvæ cum ita sint, omnis Dei revelatio specialis ad duo præcipua miracula referri potest, miraculum puta inspirationis et, qvod in ecclesia inde mediatur, illuminationis. Ut illud purissimum rerum divinarum speculum i. e. scripturam fallendi nesciam[1]) nobis dedit, ita hoc mentis oculum ad recte videndum illustrat[2]). Hinc autem

---

1) .... revelationes certis testimoniis in verbo suo proposuit, in qvo ceu foetus in alvo materna nutrimentum attrahens ex umbilico et cotyledonibus nos qvoque sedemus inclusi, et attrahimus agnitionem Dei et vitam ex verbo Dei, ut eum invocemus, sicut se patefecit. Melanchth. l. c. cap. 1 pg. 151 .... in Scriptura Canonica nullum est mendacium, nulla falsitas, nullus vel minimus error sive in rebus, sive in verbis. Qvenst. l. l. p. l. p. 77.

2) .... adeo ignorans et perversa est ratio illa, ut etiamsi ingeniosissimi et doctissimi homines in hoc mundo Evang. de Filio Dei et promissiones divinas de æterna salute audiant, tamen ea propriis viribus percipere et vera esse statuere neqveant. F. C. cfr. Hutt. red. p. 67.

Fides divina, qva qvis infallibiliter credit, hoc verbum, qvod Scriptura proponit, esse vere Dei verbum, immediate oritur a vi et potestate S. Scripturæ intrinseca, qvâ Scriptura ipsa ad generandam fidem sibi debitam efficax est. Qvenst. p. 1. pg. 98.

intelligitur, qvid tandem sibi velit illa rationis captivitas. Namque sunt omnia revelationis phænomena a duplici parte spectanda. A parte objectiva Deus in iis apparet; vere ita cogitat, ut loqvitur, ita in se est, ut vult hominibus videri; triunus est, nam triunus apparuit: *verax est*[1]. Licet autem sit Deus veritas, nec possit natura ejus sibi ipsa repugnare, ratio tamen humana ea solum capit, qvæ sui similia sunt, et qvæ ad hunc nostrum rerum ordinem pertinent; qvare cum singularis sit Dei natura, ratio ipsa intelligit auctoritatem suam esse hac ex parte abrogandam[2]). Sed ab altera parte phænomena revelationis sunt nobis cognoscenda, in vitam nostram applicanda; si vero ita humana ratione judice se invicem tollerent, ut mentes nostræ semper in suspenso relinqverentur, nulla revelatio contingeret. Qvæ cum ita sint, commendari potest in hoc phænomenorum divinorum regno usus ratio-

1) Causa certitudinis est revelatio Dei, qvi est verax. Melanch. L. l. pg. 148.

1) Qvando objiciunt adversarii (Socin. Armin.) religionem multa habere supra, nihil vero contra rationem, respondeo: 1) Articuli fidei in se non sunt contra rationem, sed solum supra rationem; per *accidens* vero fit, ut sint etiam contra rationem, qvando ratio judicium sibi de illis sumit ex suis principiis, nec seqvitur lucem verbi, sed eosdem negat et impugnat. Qvenst. p. 43 XIX Distinct.

Cognitio Dei naturalis non extendit sese ad essentiam divinam, qvatenus illa relativa seu in Tribus Personis consideratur . . . . Idem p. 265 Θέσις.

Congruentiæ naturales et analogia creatarum rerum cum hoc mysterio non divinam fidem, sed opinionem tantum humanam generant . . . . Idem Ἔκθεσις p. 266. IV. Obs.

nis nostræ formalis[1]). Sed qvænam tandem est illa lex suprema, qvam ratio in imperium legitimum restituta sancire debet? Cum veritates revelatæ non sic comprehendantur, ut transitus ab altera in alteram dialecticus fiat, sed certitudinem, ut ita dicam, essendi a revelatione obtinentes[2]) ita sint ordinandæ, ut omnes simul extare posse monstretur, omnium maxime observandum est notissimum illud: *ab esse ad posse valere consequentiam.* Ea lex facit, ut logica ipse suas regulas nunc abroget, nunc confirmet. In trinitatis dogmate tacet logica; unus enim Deus in tribus personis apparuit, ergo unus esse potest in tribus; sed audienda est ratio, qvando sua sponte, cum in scriptura disertis verbis non commemoretur, ubiqvitatem corporis Christi docet; siqvidem revelatus est Christus tanqvam is, qvi et ad dextram Dei sedeat, et in coena sacra vere et realiter sit præsens[3]). Atque hinc termi-

---

1) Aliud est principia et axiomata philosophica in Theologia adhibere illustrationis, declarationis et secundariæ probationis gratiâ, ubi res e Scriptura definita est; et aliud, adhibere eadem decisionis et demonstrationis causa, vel principia philosophica et ratiocinationes ex illis factas pro principio in Theoligiâ agnoscere, aut ex illis de rebus fidei judicium ferre. Idem p. 42 II Obs, cfr. III. IV. V. VI. Distinct.

2) Etsi autem omnes Angelicæ et humanæ mentes obstupescunt admiratione hujus arcani, qvod Deus Filium genuit .... tamen sic sentire necesse est, qvia ut toties jam dictum est, de Deo sentiendum est, sicut se patefecit .... qvanqvam hæc arcana non penitus perspicimus, tamen in hac vita Deus inchoari vult hanc agnitionem, et invocationem nostram a falsa discerni. Idem p. 15.

3) Gerhard: Qværitur, sitne corpus Christi vere et substantialiter in coena præsens? Affirmant Eccles. nostræ, qvia

natur ratio, qvæ est inter articulos fidei fundamentales *primarios* et *secundarios* et in articulis, qvi vocantur conservativi, distinctio inter *antecedentes* et *conseqventes*[1]). Cum autem hac via non divinæ naturæ intelligentia sed mysteriorum ejus notitia efformaretur, mysteria autem phænomenis suis inclusa maneant: nullum inter ideam et involucrum distinctio fieri potuit, sed nexus intimus inter dogmaticam et historiam sacram servabatur. Spretis traditionibus humanis τερατολογία Catholicorum in contemtum abierat, sed qvod supererat, rerum supranaturalium in facto positarum fundamentum, qvo solidum et firmum esset, ne in minimis qvidem partis historiæ momentis ullus error inspiratæ scripturæ admittendus erat[2]).

Christus dicit: *Hoc est* etc. Negant adversarii ex hoc principio, qvia verum et naturale corpus non potest simul et semel esse in pluribus locis. Addunt, rationem renatam non posse aliter de corpore statuere, testimonium ergo ejus audiendum esse. At inqvam, ratio renata, qvatenus talis de art. fidei statuit ex Dei verbo, et limites ejus non egreditur. Cfr. Hutt. red. p. 71.

1) Qvæ divisiones ostendunt patres nostros non leviter tractasse rationis principia: „Articuli *conseqventes* sunt, qvi explanant fidei salvificæ conseqventia, qvibus positis fides confirmatur, *non positis* evanescit. Art. *secundarii*, qvi „licet ignorari possint illæso fidei salutisqve fundamento, pertinaciter tamen negari salvo illo non possunt, nedum impugnari " Hutt. rediv. § 17 p. 24. 25.

2) .... omnia et singula sunt verissima, qvæcunqve in illâ traduntur: sive dogmatica illa sint sive moralia, sive Historica, Chronologica, Topographica, Onomastica, nullaqve ignorantia, incogitantia aut oblivio, nullus memoriæ lapsus Spiritus Sanctus amanuensibus in consignandis sacris litteris tribui potest aut debet Qvenst p. 1 pg. 77 θέσις.

m ita sacræ litteræ positivæ doctrinæ stamina theologia
peditarent, cumque Enthusiastarum (Schwenckfeldia-
um, Weigelianorum) internis afflatibus angelicisque si-

Neque Dogmatici solum ita judicabant sub finem seculi 17mi, sed Historici etiam in posteriore parte seculi 18mi pari modo inter fontes humanos atque divinos destingvebant:

Ihre (i. e. Scr. Sac.) Verfasser haben nicht allein nie geirret, sondern auch nicht einmahl irren können, und ihre Erzählungen sind daher nicht allein so gewiss, als jede andere historische Wahrheit, sondern auch untrüglich gewiss. Ch. W. F. Walch, krit. Nachricht v. d. Qvellen der Kirchengesch. Leipz. 1770. p. 23 — Qvare non solum ex historia sacra applicationes multiplices et frugiferas in vitam christianorum ad exemplum Lutheri facere conabantur, sed gravissima etiam dogmata testimoniis singularum rerum in facto positarum superstruebant:

Ita v. c. E. Brochmand conferendis et premendis paucis locis (Gen. 1, 26. 27. Eph. 4, 24 Col. 3, 10) omnes Bellarmini de integritate et immortalitate primi hominis naturali objectiones nullo negotio refutat. Univ. Theol. Syst. p. 124. Qvæst. III. IV.

Qvenstedius principalem fuisse in intellectu primi hominis excellentem qvandam cum Deo πρωτοτύπῳ conformitatem demonstrat. .... Ex Adami factis qvalia sint 1) *Ονοματοθεσία*, sive nominum conveniens impositio Gen. 2. 19, qvæ erat non solum *Grammatica*, qvoad nomenclaturam animalium, sed vel maxime *Logica*, qvoad verissimam definitionem. Qvid? qvod eadem methodo historica comprobant spiritum sanctum vere esse personam; sic jam Melancht. .... impio sophismati Ecclesia vera oponit testimonia in scripturis tradita, qvorum primum et maxime illustre est revelatio divinitatis, facta in baptismo Christi, ubi clare discernuntur tres personæ. Pater inqvit: Hic est Filius meus dilectus. Est igitur alia persona Patris, alia Filii. Descendit autem Spiritus Sanctus in specie columbæ. Jam

loqviis minime considerent: ad objectivas fidei formas constituendas maximo opere tendebant. Qvare licet speculationibus abstinerent, ne ad Scholasticorum exemplum "ex divinis alloqviis et philosophicis rationibus tanqvam ex Centaurorum genere mixtione qvadam conflatam disciplinam" conderent, nihilominus tamen rationi munus formandi gravissimum relinqvebatur. Cum enim in tanta rerum summa, ne altera alteram tollere videretur, curandum esset, ut sua cuique essendi conditio, qvoad fieri posset, tribueretur; hinc labor molestissimus per affirmationes, negationes, distinctiones, divisiones, exceptiones perficiendas rationi servæ imponebatur. Dum vero in hac subtilissima momentorum singulorum analysi τὸ ζητȣ́μενον indicaret, τὴν ϑέσιν constitueret, τὴν αντίϑεσιν adderet, τὴν βεβαίωσιν susciperet, in eam sententiarum molem succrevit opus, ut et rationis perseverantiam, qvæ licet mechanice singula ita adaptaverit, et fidei firmitatem, qvæ tantum elementorum contrariorum ædificium portare potuerit, æqve admireris[1]). Ma-

---

si Spiritus esset agitatio in animis creata, non appareret peculiari specie corporali.

Sic et in Pentecoste apparet Spiritus Sanctus peculiari specie corporali. Hæ patefactiones non sunt frustra factæ, immo sunt excellentia beneficia Dei, in qvibus Deus se patefecit Ecclesiæ, et testificatus est Spiritum Sanctum esse personam. l. l. pg. 157.

Eum secutus Qvenst. demonstrat trinitatem „ex singulari illa ϑεοφανείᾳ facta in baptismo Christi ..... ut vere dictum sit ab antiqvis: abi Ariane ad Jordanem! et videbis Trinitatem." pg. 324.

1) Das dogmatische System des 16 und 17 Jahrhunderts kam mir vor wie einer unserer alten deutschen Münster mit seinen himmelstrebenden Spitzbogen und wunderlichen sinn

gnificum hoc templum, quod exstruxit sibi spiritus ab exilio reversus, munitum est inter multiplices rerum motus; armis cincti, semper ad pugnam parati opifices ædificabant; quomodo autem ædificaverint, num aurea et argentea opera et lapides pretiosos, an lignum, gramen, stipulam superstruxerint, dies docet, ignis explorat.

§ 16.

Absoluta essentiæ et phænomenorum conformitas, cui tota illa structura innititur, semetipsam tollit. Cum enim divina natura non in uno sed pluribus phænomenis apparuerit, non una sed multis rationibus iisque sibi contrariis expressa sit: profecto inde sequitur, ut in unoquoque phænomenorum semper insit, quod divinitati minus conveniat[1]); atque hinc diversus verborum usus et discrimen inter ea, quæ proprie et quæ improprie dicta sunt observari debet[2]). Hinc autem inversa regula con-

---

vollen Zierrathen. . . . . Einen Dom wie unsre Vorfahren kann auch unsre Zeit nicht wieder baun . . . . es wird einem aber doch ganz besonders wie in einem Gotteshause darin zu Muthe. Hase: Der theol. Facult. zu Tübingen (Hut. rediviv).

1) Quia intellectus noster finitus infinitam et simplicissimam Dei essentiam uno conceptu adæquato adæquate concipere nequit, ideo distinctis et inadæquatis conceptibus essentiam divinam inadæquate repræsentantibus eandem apprehendit. Quenst. p. 284.

2) Huc pertinent omnes antropomorphismi. Ita Quenst. distingvit „ea, quæ imperfectionem aliquam subinferunt et Deo proprie tribui nequeunt, sed improprie et per ἀνθρωποπάθειαν ipsi adscribantur, ut affectus et organa corporea, ut ira, odium, manus, pedes, oculi“ etc . . . p. 296.

cluditur *a non posse, esse ad non esse valere consequentiam*, atque ita ratio, cujus est singula invicem comparare, in libertatem vindicatur. Ubi vero res duæ sibi invicem sic oppositæ occurrunt, ut altera alteri aperte repugnet, mutatur nodi solvendi ratio, prout hæc aut illa stabilitur. Sed utra earum maneat, utra alteri locum cedat, neque summa sententiarum revelatarum, de quibus singulis disputatio est, efficere potest; neque ipsa ratio, cum ratiocinii hac ex parte spectati solum referat, ut punctum, unde egrediatur, fixum habeat; quare totum doctrinæ objectivæ systema in veram fidei subjectivitatem evanescit. Quæ cum ita sint, concedi potest, unum Deum in tribus personis apparuisse, et tamen juxta regulam nuperrime laudatam concludi, trium personarum mentionem propter unitatem Dei esse figurate intelligendam[1]). Ex ea doctrinæ constituendæ ratione sequebatur, ut quemadmodum universalem veritatem in scriptura sacra revelatam defenderet fides subjectiva, ita singulas quoque sententias sustinere deberet; quodsi veritas unius rei credita in dubium vocaretur, infirmari eadem arte poterant quævis aliæ, quare disputationes semper *de omni et de nullo* agebantur. Hinc tristis ille Colloquiorum irenicorum exitus[2]), hinc

1) Quod Sociniani objecerunt: Quoniam essentia divina tantum unica est numero, ideo nullatenus plures in eâ possunt esse personæ. Cathechism. Racov. Cap. I. q. 21.

Quid quod Volkelius Libr. V. de V. R. cap. IX. fol. 401 doctrinam de Trinitate Veteratori Satanæ adscribit; atque Joachimus Stegmannus et *Scripturæ* et *Rationi* hoc mysterium repugnare docet. cfr. Quenst. p. 345.

2) Ita v. c. de colloquio Thorunensi querelæ gravissimæ exprimuntur:

frustranea Syncretistarum mediocritas; hinc denique theologorum fervor, partium studium, fanatismus, rabies. Omnia hujusmodi systemata nonnisi per extremas consequentias consummantur et consumuntur, quare semper in efformationem eorum animus advertendus est.

Actus fidei fundamentalis cogitatio est; quærit igitur fides identitatem momenti subjectivi et objectivi immediatam; sed in ea quoque immediata diversitas latet. Illa prius, hæc posterius apparet. Cum assensus imediate sequatur, non sollicitus est is, qui credit, de externa comparatione inter ipsum et objectum fidei, quasi utriusque qualitates caute et scrupulose essent explorandæ et sibi invicem adaptandæ; sed captus objectivitatis, cui creditur, præstantia, summo studio eo tendit, ut formæ fidei objectivæ definiantur et constituantur. Inde nisus ille fidei protestanticæ ad systemata exstruenda. Cum vero ita in meram objectivitatem se immerserit fides, ratio immutatur. Absoluta enim systematis objectivi auctoritas in eo cernitur, ut res valeant, non quod comprehendantur, sed quia sunt in facto positæ. Apparet ita systema quasi peregrinum quid, cui obediendum sit, quia obedientiam quærit; objectivitas subjectivitatem devorat. Sed ita

---

„*Quæ sunt gesta tribus Thoruna mensibus urbe,*
Hæc potuere tribus cuncta diebus agi."

et

„*Quid synodus? nodus. Patrum chorus integer? æger.*
Conventus? ventus. Gloria? stramen. Amen."

Cfr. Dr. K. R. Hagenbach: Vorles. üb. W. u. Geschicht. d. Reform. 4 Theil p. 148. 149.

De litibus syncretisticis, quæ ingenium illius ævi lucu lenter depingunt cfr. J. G. Walch R. Str. 1 Theil § 5. p. 216. etc.

quoque semetipsum destruit systema; nam, licet in oblivionem origo abierit, reapse tamen per fidem conditum est; quare cum in ingenia auctoritatem suam extrinsecus exercere incipiat: mens subjectiva vinculis externis se restringi sensit, in semetipsam redit, atque ita prodit discrepantia; cumque vim nullam nisi per sympathiam, ut ita dicam, subjectivitatis systema objectivum exercere possit, hac ratione dissolvatur, necesse est.

Quare cum in illa theologia singulæ sententiæ fidei immediate superstructæ essent, fides ipsa in sententiarum summam i. e. in formalismum frigidissimum abiit; cumque dicta probantia et loci communes maxime essent in deliciis, non veritatis nomine effata sacrarum litterarum intrinsecus comprobabant, sed scripturæ nomine veritatem extrinsecus captabant, singula verba apicesque *venerantes.* Ab hac spiritus objectivitate abalienatus est spiritus; in hac *Bibliolatria* vera lux Bibliorum obscurata est. Hunc formalismum subsecuta est formarum positivarum negatio; in semetipsam reverti coepit mens pia, et in litibus pietisticis scholasticorum nostrorum vires consumtæ sunt.

Ita alterum fidei momentum prodiit. Quæritur, ut toto pectore subjectum se rei tradat; sed pericula cautum faciunt; quamobrem in profunditates mentis propriæ oculum deflectat, et cor suum exploret, necesse est. Protestantismus igitur negationem sui atque adeo restaurationem in se continet, quare cum ab initio momentum reale, quippe quod persvasionem immediate moveret, prævaluisset, momenti formalis gravitas sic sensim crescebat, ut jam eodem tempore, quo, bello tricennali finito, Protestantismus plenum jus civitatis assecutus est, philosophia a

theologia discederet, et *de omnibus dubitandum* esse doceret. Lutherus fidei concretæ causa libertatem conscientiæ seculo 16mo vindicavit; veri autem successores ejus secul. 18 et 19 libertatis causa libertatem et cogitationem, ut objectiva et concreta fidei doctrina inde denuo nasceretur, defenderunt [1]).

§ 17.

Neglecta autem antiqua doctrinæ constituendæ ratione, fieri non potest, quin objectivæ quoque fidei formæ, utpote quæ systematis antiquati materiam efficiant, ad tempus saltem negligantur; mens igitur explorandi et cogitandi occasionem appetens, incolumi modo ea veritatis divinæ parte, quæ cor pium immediate moveat, quo elementa nova elaboranda sibi inveniat, ad alias regiones se confert. Objecta fidei remotiora sunt, proxima autem objecta hujus mundi; qværenti ita immediatam momenti subjectivi et

---

1) .... selv i det Tilfælde, at Reformatorerne havde ikke blot villet skildre Protestantismens Aand og Tendents og derhos tillige deres egen og deres Samtidiges religiöse Overbeviisning, men tillige i denne villet opstille en uforanderlig Troesnorm for de fölgende Slægter, da maatte man beklage Menneskehedens Lod, som er Svaghed selv i sin störste Kraft; men nogen Forpligtelse for den protestantiske Kirke kunde heraf ikke udledes. Clausen: Cath. og Protest. p. 331.

Der Protestantismus hat, was vom Anfange in ihm lag offenbart, die Entwicklung der religiösen Selbständigkeit, die durch freie Liebe und Einsicht am kirchlichen Vaterlande festhält, so dass die Treue an Luthers Geiste zum Abfalle von seinem Buchstaben .... geworden ist. Hase: Kirchengesch. (1834) § 545.

objectivi identitatem, affectiones et sensationes, unde ad vastum empiriæ campum aditus patet, commendari possunt. Neque tamen in hac realitatis præsentia spectator diu exsultat; necesse est enim res empiricas cogitando tractari agnoscat; cogitatio autem rei negatio est, qvare ab ea natura, quæ sensibus subjecta est abalienatus, ad rationalem rerum ordinem confugit, ut in ea objectivitate semetipsum agnoscat. Licet autem Empirismus et abstractus Rationalismus sibi plane contrarii sint, cum alter in singularibus, alter vero in universalibus rebus versetur, manus tamen facile invicem jungunt, nam elementa utriusque conscientiæ arrident; et ratio abstracta, quo notiones vacuæ impleantur, empiriam quærit. Quod vero ipsam fidei doctrinam attinet, ambigua est utriusque ratio, nam ab altera parte fidei sunt cognati, quippe cum argumentum fidei nihil aliud sit nisi summa realitatum, ut ita dicam, spiritualium; idem vero de his nostris conscientiæ objectis valet; volunt denique utrique, ut per objectivitatem ad se redeat mens cogitans, quod natura quoque fidei postulat. Sed ab altera parte fidei prorsus contrarii sunt, fides enim omnia sua elementa a Deo sanctissimo supra hanc nostram naturam evecto, deducit; hi contra a subjecto et natura creata incipientes fines profanos nunquam transgrediuntur.

Ex hac familiaritatis ambiguitate duplex eorum relatio ad ecclesiam sequitur. Quando enim profanam principiorum naturam incaute produnt, violatæ pietatis nomine exsibilantur, quandoque elato vexillo et tuba clangente acropolin Christi expugnare conantur, gladio potentioris spiritus pereunt; quando autem larvati hostes in castra

fidelium clam introducti speculantur, cuniculos occultos agunt. Neque tamen ea hostium illorum astutia ita explicanda est, ac si theologos *κεκαυτεριςμένυς τὴν ἰδίαν συνείδησιν* mercede, nescio qua, conducerent, ut veritatem religionis suspectam redderent; immo bona fide et ingenua fronte theologi hujus notæ agere solent. Lites igitur hac ratione ortæ non immediate de hostibus et amicis Christi, sed de religionis essentia ejusque phænomenis geruntur. Ii enim, qui in antiquo docendi genere acqviescunt, momentum phænomenorum sacrorum supranaturale premunt, dicentes ea, quippe cum objectivas fidei formas constituant, neque vulgarium rerum judicio nostro subjectarum ordini posse accenseri, neque sine gravissimo religionis detrimento a nobis immutari aut infirmari[1]).

---

1) Quæ in ecclesia Reformata, cum ad sacram scripturam accederet ars critica, disputata sunt, prototypum quodammodo disceptationum hujusmodi omnium efficiunt. Ita Ludv. Capellus Buxdorfio erat *novator, propheta, videns,* qui somniis indulgeret. Capellus autem (advers. Censorem Buxdorfium .... brevis occonomia): Satis, inquam, mihi fuisset id ostendisse adversus Censorem meum .... nisi illi ipsi et aliis multis altius animo insedisset et infixa esset hæc opinio: Actum esse de Dei verbo ejusque apud nos auctoritate, atque ex consequenti de hominum salute, (quæ non aliunde quam ex Dei verbo pendet), si apiculi isti non statuantur esse a Mose et Prophetis, libris suis, Deo eos docente, additi et adscripti Scite quoque Georgius Pasor Sebastianum Pfochenium, ex litibus puristicis inclitum, hæc loquentem inducit:

Diligo Philologum, qui eviscerat abdita verba,
Jure novum Christi sed mage *fedus* amo,
Ergo *novo* quisquis de *federe* tenuia dicit,

Fundamentale igitur explorationis vitium in eo ponunt, quod non a veracitate Dei se manifestantis ad veritatem phænomenorum et formarum revelationem spectantium concludatur; sed ab exploratione phænomenorum ad determinanda revelationis momenta transeatur. Qui autem exploratione humana freti ad tribunalia empiriæ et rationis res divinas protrahere audent, partem phænomenorum naturalem urgent, contendentes, petitionem esse principii, si quis fidei nomine formis et phænomenis inhæreat, cum nonnisi iis explorandis ad fidei objecta definienda perveniri possit. Atque hæc persvasio, verum vero contradicere non posse, neque veritatem empiricam veritati religionis repugnare, auctoritatem, cui resisti non possit, huic scholæ tribuit [1]).

En pupillam oculi vulnerat ille mei.
— — — — — — — —
Falx critica in quosvis per me grassetur. At unis
A Bibliis fas est abstinuisse manus.

1) Sunt tamen et pii et docti viri, qui cum vix habeant, quod tam manifestæ veritati opponant, pergunt nihilominus periculosas inde metuere consequentias. Quasi vero a veritate ullum jure metuendum sit veritati periculum! Verum certe vero semper consonat fertque opem, nunquam repugnat aut officit . . . . Ergo candido et christiano pectore, et forti constantique animo dignius esse existimavi, fateri in hac causa, quod res est, quam cum nonnullis id oppugnare, quod sine rubore ab eo, cui ingenua est frons, negari non potest. Ludv. Capellus. Arcan. punct. Præfatio ad lect.

Cogitationem ut ipsam intelligentiam, utpote quæ fidei naturam per se spectatam contineat, esse irresistibilem Hegelius optime monstravit: Phänomenologie des Geistes (Werke) p. 410. Von dieser Seite, dass beide wesentlich dasselbe sind und die Beziehung der reinen Einsicht durch und in

Quæ cum ita sint, facillime elucet, non amplius id agi potuisse, ut positivæ fidei formæ constituerentur; sed phænomena revelationis in vetustate cana oblata, et formæ, labentibus annis jam constitutæ, extrinsecus exploranti animo afferebantur, ut quæ illarum rerum evenire potuerint, quæ revera evenerint, quæ denique ad phantasiam superstitiosam referendæ essent, efficeretur. Fides igitur non amplius erat principium theologiæ constitutivum, sed licet quod normam constituit, nihil aliud admittere possit, quam quod intra terminos ejus atque confinia situm sit: naturalis tamen rerum supranaturalium norma et judex adhibebatur. Quare quid mirum, si positiva religionis elementa hac ratione sensim imminuta atque consumta sunt? Ita cum Empirismus monstraret, puncta hebraica neque ab Adamo neque a Mose, ne ab Esra quidem inventa esse, Græcitatem Novi Testamenti non esse purissimam, relationes Scripturæ Sacræ cum sibi tum vero etiam testimoniis profanis fide dignissimis contradicere multosque singulorum librorum vix ac ne vix quidem esse authenticos[1]): Rationalismus subjectivus ab altera parte

demselben Elemente geschiet, ist ihre Mittheilung eine unmittelbare, und ihr Geben und Empfangen ein ungestörtes Ineinanderfliessen .... Die Mittheilung der reinen Einsicht ist deswegen einer ruhigen Ausdehnung oder dem Verbreiten wie eines Duftes in der widerstandslosen Atmosphære zu vergleichen .... ein unsichtbarer und unbemerkter Geist, durchschleicht sie die edlen Theile durch und durch, und hat sich bald aller Eingeweide und Glieder des bewusstlosen Götzen gründlich bemächtigt, und „an einem schönen Morgen giebt sie mit dem Ellbogen dem Kammeraden einen Schubb und Bautz! Baradautz! der Götze liegt am Boden."

1) Cfr. Selmers Abhandlung von freier Untersuchung des Canon.

(— ut ratio reciproca empiriæ et cogitationis inde eluceat —) inspirationem supranaturalem absurdam esse monstravit[1]), miracula fieri posse dubitavit[2]); regenerationem esse modo voluntatis propriæ correctionem declaravit[3]).

Quo altius exoriebatur ille sol rationis, quo latius lucis empiricæ radii spargebantur, eo magis expallesce-

---

1) Cfr. Eckermann: Beweis, dass der biblische Begriff der Offenbarung kein andrer, als Offenbarungsbegriff der gesunden Vernunft sey.

2) Die Verächter der Bibel nehmen gerade die gefährlichsten Waffen, womit sie das Ansehen, die Ehrwürdigkeit und Glaubwürdigkeit der Bibel bestreiten, aus der Behauptung der Vertheydiger derselben her, dass ihre Verfasser sich einer unmittelbaren und übernatürlichen Offenbarung und Eingebung rühmen. Die Verfasser der Bibel werden deswegen als eine Reihe von Schwärmern angeklagt und herabgewürdigt. Idem: Handhuch der christl. Glaubenslehre 1 Theil. p. 410.

Aber sagt man, wenn ein Mann von erprobter Frömmigkeit, Rechtschaffenheit und Wahrheitsliebe .... versicherte, dass Gott dies unmittelbar und übernatürlich bewirke .... sollten wir denn das einem solchen Manne nicht glauben? Die Vernunft antwortet: Nein! Es ist unmöglich, dass ein Mensch unmittelbaren Wirkungen Gottes erkenne! Auch der redlichste Mensch irrt, wenn er etwa dergleichen zu erkennen glaubt ... l. l. p. 456.

3) Ita Paulus (Comm. üb. d. N. Tst.) in Joh. 3, 6. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῦ πνεύματος der Mensch, welcher durch seine Geisteskraft, Einsicht und Wollen des Guten sich selbst zeugt .... quam rem provocando ad Senec, de brev. vitæ: Solemus dicere, non fuisse in nostra potestate, quos sortiremus parentes .... nobis vero ad arbitrium (!) nasci licet, uberius illustrat.

bant species coelestes, eo plura exstincta sunt coeli supranaturalis lumina. Observabat sagacitas rationis adultæ, omnes illas Dei allocutiones et geniorum apparitiones, quibus adeo delectentur infantes (οἱ νήπιοι), esse phænomena ex tempestate et phantasia maximam partem composita; apparationes igitur hujusmodi non in eo constant, ut mysteria divina natura illustranda revelentur; sed ut res naturales phantasiæ humanæ nebulis obvelentur, quo velo detracto nudam demum veritatem amplecteris[1]). Ita non Jehova in rubo loquens tergiversantem Mosen legatum facit; sed Moses consiliorum plenus rubum fulmine tactum Jehovam fingit. Neque Deus, ministrante Mose, sed Moses nomine Dei legem tulit, indignam enim Deo erat voces articulatas edere[2]).

---

[1]) Exempla hujusmodi revelationis egregia offert G. L. Bauer in libro, qui inscribitur: Hebräische Mythologie des alten und neuen Testaments Leipzig 1802; tanta sagacitate prolata sunt, ut non possimus, quin cum lectore benevolo nonnulla communicemus: Ita de Mose p. 271. 1 Band: Moses stellte sich vor, ein brennender Dornbusch sey Johova. *Kann das Geschichte seyn?* Kann der brennende Busch würklich Gott, oder nur Gott in demselben gewesen seyn? Ist Gott ein Feuer? — p. 272. Ein Blitzstrahl fuhr in einen Dornbusch, als Moses weidete am Horeb mit seiner Heerde. Es war aber ein kalter Strahl, der nicht zündete . . . . Nach Hezel wars electrisches Feuer.

[2]) L. l. p. 225 2 Band: Und dass Gott selbst vom Himmel geredet habe, ist auch schwer zu glauben, wenn reden heissen soll articulirte Töne, Worte der damaligen palästinischen Landessprache aussprechen, et p. 296. 1 Band: Hätte Gott selbst gesprochen, sollten denn die Israeliten so gar dumm, unempfindlich und hartnäckig gewesen seyn,

Neque enim in Vetere solum Testamento, sed etiam in Novo apparitiones coelestium habendæ sunt illusiones hominum. Cum nulli appareant angeli, sana logica docet, Gabrielem Mariæ nativitatem Christi annuntiare non potuisse; cumque ex nihilo nihil fiat, neque naturalia sint turpia, magis convenit, si confitemur, Jesum esse secundum naturam a Josepho et Maria procreatum [1]). Qui autem naturali modo natus est, qui vires supra naturam elatas in

---

dass sie gleich darauf sein Verbot des Bilderdienstes vergassen? Und für die zehn Gebote, welche zwar gut und meistens Natur- und Vernunftgebothe sind, zu deren Erfindung aber kein göttlicher Verstand gehört, sollte eine Gesetzgebung vom Himmel nöthig gewesen seyn?

1) Soll die Erscheinung nur vom einer Vision oder innern Intuition oder den eigenen Gedanken der Maria erklärt werden, so fällt zwar der Einwurf von der persönlichen Erscheinung eines Engels weg, aber dafür ist unaufgeklärt, wovon denn die Maria ist schwanger geworden. Durch die blosse Einbildung hat sie doch wohl nicht schwanger werden können . . . . . Weit natürlicher ist's, Jesum für einen Sohn des Josephs und der Maria, unsere Sage aber für ein später entstandenes Raisonnement über die Entstehung des Messias zu halten l. l. p. 192. 1 Band.

Neque vero fieri potest, ut religionis christianæ auctori major dignitas aut excellentia concilietur, si vitæ ejus partes et casus non secundum naturalem rerum humanarum viam a Deo constitutam, sed supranaturali sive miraculosa quadam ratione evenisse dicantur. Nam si hoc esset, consequeretur, naturales rerum in orbe gerendarum leges a divina sapientia et omnipotentia constitutas, quasi minorem quandam dignitatem habere, hominumque præstantiam ex iis potius, quæ ipsis accidunt, quam ex ipsorum consiliis et factis debere existimari. Wegscheider: Institutiones Theol. Halæ 1833. p. 442 not. a.

usum suum convertat? Johannes Baptista spiritum sanctum vidisse sibi visus est, sed revera columbam vulgarem forte transvolantem vidit[1]). Putabant quidem apostoli, Christum in monte illustratum cum Mose atque Elia collocutum esse; si vero accuratius in rem ipsam inquiris, apparebit, discipulos per illam noctem dormivisse somniaque habuisse, expergefactos autem oculisque satis politis Christum luce matutina lustratum aspexisse[2]). Quæ cum ita sint, si veram rerum gestarum realitatem respicis, non multum differre videtur historia sacra ab historia profana. Nam et gentiles tonitru ex improviso auditum vocem Dei esse agnoscebant; eorum quoque legislatores leges suas ad Deum auctorem referebant; item ex avium volatu[3]) (sicut ex illa columba Johannes Baptista) omnia accipiebant, cumque heroibus suis patres divinos tribuere amarent, ex virginibus potissimum natos eos esse credebant[4]). Neque tamen idcirco historias sacræ scripturæ parvi æstimare oportet; nam cum multi homines ex deliquio in finem, nescimus quemnam, reviviscant, celebranda est providentia Dei, qui ita res moderasse videtur, ut homo ille perfectissimus atque religiosissimus, qui nobis exemplo propositus est, in vitam rediret, ut discipulis suis bonum animum adderet; et si ex ejus resurrectione ad immortali-

---

1) Der heilige Geist kann nicht wie eine Taube mit sichtbarer Gestalt herabgefahren seyn, denn er ist Gottes unsichtbare überall wirksame Kraft, wie hätte diese sollen sichtbar werden? Bauer: l. l. p. 225. 2 Band.

2) Idem p. 243. 2 Band.

3) l. l. p. 230. 2 Band.

4) l. l. p. 192. I Band.

tatem concludere vix poteris, eam tamen in Dei providentia fiduciam collocare licet, fore ut si præmaturo deliquio ipse forte corripiaris, te quoque, si Deo placeat, in vitam hanc nostram, ad rationalem rerum ordinem promovendam, esse reversurum; quare Christus tametsi non visibili modo in coelum ascenderit, sed occulta via post nubem de monte descenderit, præstantiorem tamen apotheosin, quam Romulus et Drusilla adeptus est[1]; et virtutem ejus cum admirari tum imitari tibi licebit, modo a Christolatria abstineas.

§ 18.

Cum vero Criticismus, quæ in sinu gestabat, hac ratione satis superque declarasset, exspectandum erat, eum aut ab ecclesia fuisse exsibilatum aut ipsum ecclesiam evertisse; neutrum vero pro re nata fieri potuit. Criticismus continet is quidem negationem quandam fidei; sed quærendum est, quonam loco negatio ponatur. Empirismus et Rationalismus subjectivus cum momenta, ut ita dicam, mundana et mere humana premant, realitatem

1) Quare Paulus non sine pia emphasi: Welch ein Gegensatz gegen dergleichen Apotheosen lag in Jesu ἀναλήψις, auf welche .... das alte Römergesetz würdig auzuwenden ist: Divos et eos, qui coelestes semper habiti, *colunto, ct illos quos endo coelo merita locaverunt*, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum, et Horatii:

„Virtus, recludens immeritis mori
Coelum, negata tentat iter via:
Coetusque vulgares et udam
Spernit (!) humum fugiente penna."

in Luc. 24, 51 (Comment. üb. d. N. T. 3 Theil. Leip. 1805).

objectorum fidei negant, i. e. extra fines suos positam esse volunt. Ea autem negatio nulla est annihilatio; sed quemadmodum intra terminos suos res ad se pertinentes ratione positiva tenent illi, ita realitatem quoque extra eos fines collocatam esse agnoscere possunt. Sic vero nova reconciliatio inter fidem et intellectum comparatur[1]. Cogitari non potest phænomenorum multitudo, nisi essentiæ unitate audita, neque finitum nisi per infinitum, nec visibili nisi per invisibile. Quæ autem comprehendi possunt, pertinent ad res finitas; nam ubi comprehensio est, ibi momentorum quoque discrimen, et ubi discrimen ibi momenta finita. Totam igitur rerum et momentorum finitorum regionem intellectus in suam redigit potestatem; regnum autem infinitæ et invisibilis existentiæ licet ex limitationibus regionis suæ supremam ejus causam inde repetendam esse intelligat, non occupat. Ne vero aditus ad regnum illud præcludatur, alia, qua capiatur, facultas homini insit, necesse est; atque ita nova in ipsa mente humana crisis inter intellectum ab altera parte et voluntatem atque sensum ab altera accedit.

Per voluntatem fieri potest, ut homo vi subjectivitatis regno æterno atque infinito sese immolet, atque hac immolandi actione servatur et momentum finitum et infinitum, traditnr enim subjectum finitum, atque ita infinito satisfieri potest; sed homo finitus ipse se tradit, atque ita

---

[1]) Quæ rationis criticæ theoremata quomodo Kantius, Jacobius, Schleiermacherus, Frisius, theologi eclecticismo dediti, modificaverint, cum de natura Criticismi in universum spectata hic disputemus, non hujus loci est accuratius exponere.

sibi satisfacit. Per sensum purum, ut ita dicam, i. e. a farragine affectionum particularium liberatum eadem reconciliatio piæ menti contingit. Nam in sensu est immediata momenti subjectivi et objectivi identitas, qvare missis particularibus subjectum universale et objectum, unde absolute pendeat, infinitum asseqvere. Inde vero alia seqvitur crisis eaque gravissima, qvæ inter ideam religiosam atque involucrum ejus distingvit. Qvæ distinctio tanti momenti est, ut ad eam referri possit maxima theologiæ recentioris mutatio.

Cum enim formæ et phænomena ad regnum finiti atque adeo ad intellectum partineant, profecto inde seqvitur, Deum non posse a nobis comprehendi, neqne eo religionem spectare, ut comprehendatur; distingvendum est igitur inter Deum, qvatenus in se sit, infinitum et incomprehensibilem, et formas phænomenaque, qvibus se Deus in salutem nostram manifestaverit. In eo igitur discrepat theologia recentior ab antiqviore. In antiqviore theologia Deus per phænomena sui vere definitur, in iis ipse inest, qvare capienda sunt, qvemadmodum apparuerunt; sed in theologia critica Deus infinitus nullis formis contineri nec restringi potest, qvare qvæ phænomena et formæ rerum divinarum apparent, modo a parte humana spectanda sunt. Ita regna visibile et invisibile, intellectus et fidei non prorsus separari possunt, licet ceterum divergant, habent tamen terminos qvosdum communes (sic Gallia Hispania, Hispania Lusitania terminatur), cumque notio spatii in relationem nostram minus qvadret, regnum finitum symbola, signa, indicia, vistigia regni infiniti habere dicimus. His conditionibus latis Criticismus tandem

effecit, ut post tot et tanta certamina *fides* et *ratio* hanc pacem facerent: Rationis criticæ sunto omnia, qvæ ad empiriam et logicam pertinent, ea tamen conditione, ut nihil omnino afferat, qvod honorem fidei ullo modo imminuere possit; fides autem regno suo beata bonis terrestribus rationis liberæ ne invideat, et ab ea hoc solum qværat, ut se defendat rebusque suis consulat[1]). Qvibus ita compositis, exponi potest methodus theologica in hunc fere modum: Qvi fidem Christianam habet, agnoscit, se in ecclesia esse ad hanc fidem eruditum cum ex vita circumcirca et in domibus privatis et conventibus sacris conspicua, idea religionis Christianæ eluceat; qvando vero ad maturitatem aliqvam pervenerit, intelligit, ne his qvidem formis semper accurate exprimi objecta fidei, qvippe cum ministri et doctores ecclesiæ homines sint erroribus obnoxii, subtrahit igitur universalem ideam ab iis formis, qvas ecclesia tradiderit, alias aptiores qværens; licet enim

1) Cujus pacti sanctitatem De Wettius graphice depinxit: Der Verstand muss wissen, was er zu bestreiten hat, und was nicht; er muss nicht, vom blinden Widerspruchsgeist getrieben, seine Waffen gegen dasjenige richten, was er, als hoch über ihm stehend, achten und schonen soll; und der Glaube, seiner hohen Abkunft sich bewusst, muss es verschmähen, sich in die niedere Sphäre des Verstandes herabzusenken und diesen frei gebornen Sohn der menschlichen Vernunft in Sklavenfesseln legen zu wollen. Herrschen soll der Glaube im Menschen, als der himmlische Genius, gesandt, dessen dunkles Daseyn zu erhellen und zu verschönern; aber die wahre Herrschaft lässt alle unter ihr stehenden Kräfte frei walten in dem ihnen angewiesenen Gebiet, und findet in der freien Harmonie des Ganzen ihr schönes Ziel. Ueber Religion und Theologie. Vorred. p. VII.

veras formas ipse construere neqveat, potest tamen, cum fidem habeat, qvando perfectæ ei offerantur, iis delectari, in iisque acqviescere. Qværenti autem ita succurrit ab altera parte intellectus et empiria externa, ab altera vero fides sive empiria interna. Religio Christiana positiva est, certo tempore, certis conditionibus externis condita; inqvirendum est igitur in documenta ejus historica, atque ita in scripturæ sacræ *authentiam*, *axiopistiam*, *integritatem* examinandam pervenimus, qvibus disqvisitionibus licet mathematice demonstrari non possit, scripturam esse purissimum religionis fontem, ad probabilitatem tamen maximam evehi potest. Ea autem probabilitas, fide in usum vocata, ad certitudinem absolutam transit. Concludere enim licet, Deum, siqvidem revelationem nobis obtulerit, velle etiam, ut ea incorrupta ad omnes homines via tutissima perveniat; cum vero traditio hominum, qvam oralem vocant theologi, facile fallat, nobis persvademus, scripturam esse verum religionis fontem. Scriptura autem ipsa dupliciter spectari debet, et historice et religiose. A parte historica arti criticæ tractanda est scriptura, et concedi qvidem potest, multa de singulorum librorum origine, de singularum relationum incongruentia disputari atque in dubium, salva religione, vocari posse; a parte vero religiosa omnia, qvæ de Deo nostraque ad eum relatione in scriptura docentur, tam profunda et præclara sunt, ut fundamentum fidei firmissimum semper efficiant [1]). Qvando igitur qvis mente pia præditus scripturam prima

---

1) Da den protestantiske Kirke nærmest begrunder de bibelske Bögers Anseelse paa den Kraft, hvormed de selv vidne om

vice perlegit, universalem doctrinæ typum observat, qvo adjuvante ad specialiora dogmata tractanda transeat, ita ut relatio inter universalitatem et momenta specialia reciproca observari possit. Atque hæc vera theologiæ tractandæ methodus esse videtur, cum omnia veri momenta conservet; namque momentum positivum atque objectivum servatum est, qvippe cum una sit idea, qvæ ecclesiam penetret, unum piæ mentis desiderium, una denique per omnes seculorum vicissitudines scriptura; sed in hac unitate fidei libertas qvoque singulorum munita est; nam intra terminos universales sua qvisque ratione doctrinam efformare potest, et qvæ ipsi maxime arrideant, eligere[1]).

Qvemadmodum vero a duabus partibus tota scriptura tractatur, ita etiam historia sacra. Si historiam sacram a parte rationali, ut ita dicam, consideras, si ipsum rerum narratarum eventum anqviris: hujus eadem ratio est atque historiæ profanæ; sin vero a parte religiosa eam aggrederis, elucet præstantia ejus singularis. Licet enim historia non comprehendatur, fieri tamen non potest, qvin qvando exempla ejus præstantissima nobis proponantur,

---

deres höiere Beskaffenhed og Oprindelse, berøres den i det Mindste umiddelbart ligesaalidt af de Tvivl, som den videnskabelige Critik fremfører mod det N. Tsts Ægthed og Integritet, som den, der er hensjunken i glad Beskuelse og Nydelse af et Kunstværk, lader sig forstyrre ved de Grunde, hvormed Kunstkritikeren bestrider dets Anseelse, som et Værk af denne eller hiin berømte Mester. Dr. Scharling: (Theol. Tidsskrift udg. af Dr. Scharling og Dr. Engelstoft 4de Binds 1ste Hefte p. 16).

1) Nemini totum est necessarium, alium alia pars ad salutem ducit. Bengel.

præclaram ideæ intuitionem, qva et res ipsa confirmetur et nobis commendetur, asseqvamur. Qvamobrem hoc maxime agi debet, ut Christum, qvalis in Nov. Test. depictus sit, intueamur, unde fructus in vitæ pietatem optimus redundet[1]). Ex ipsa rei natura seqvitur, ut philosophia, qvæ intellectum magis magisque erudiendum curat, ab hac theologia minime vilipendi nedum removeri possit; progreditur semper ingenium humanum, qvis humanitatis successui resistet? Sed philosophari humanum est, et vacillare philosophos inter theoremata prorsus diversa, qvis

---

1) De ea historiæ sacræ tractandæ ratione bene et qvidem optime meritus est De Wettius, qvod, licet ipsa metaphysica nobis minus probetur, non possumus non agnoscere. Ita disciplinæ morali, principium moralitatis ad ipsum Christum referens, cum alias nihil aliud contineret qvam universales conscientiæ et rationis leges sigillo Christi et Apostolorum confirmatas, optime consuluit. Cfr. Lærebog i den christelige Sædelære og sammes Historie oversat af Mag. Scharling p. 3 § 4.... den christelige (Sædelære) fremstiller de i Aabenbaringen allerede virkelig löste (sædelige) Opgaver i bestemte Mynsterbilleder .... eller de bestaaende christelige Sæder ikke blot i empirisk- historisk (positiv) Form, men ogsaa i eiendommeligt Stof. .... det Eiendommelige ved den ligger i den samme Sphære, hvori den christelige Troeslæres reen christelige Læresætninger ligge, i Ahnelsens Gebeet, hvor Ideen og Virkeligheden gjennemtrænge hinanden. p. 36 § 62 Christus er .... Viisdom(mens) Princip, men nærmest for Fölelsen, som i ham opfatter Livets Fuldendelse. For at blive os dette Princip klart bevidst, maae vi oplöse det i et forstandigt Begreb. Det höieste, hvad Christus er .... fölgelig det al Begreb overstigende Fölelsesprincip er Ideen om Guds Sön .... Guds Sön er tillige Menneskesönnen .... og det guddommelige Billede er Menneskehedens rene Urbillede.

ignorat? Itaque ea methodus hoc etiam curavit, ut remedium contra philosophorum inconstantiam inveniretur. Theologus, qvando ad systema philosophicum aggreditur, non tam id agere debet, ut systema ipsum per omnes cogitationum labyrinthos perseqvatur, qvo argumentum vi dialectica refellat, et errores metaphysicos detegat, hoc enim opus est molestissimum, præsertim cum multa systemata adeo abstrusa sint atque obscura, et præterea tam multa de Deo ejusque vita pro se spectata, qvæ ad Christianam pietatem promovendam prorsus sint superflua, afferant, ut, si hac via theologus verus progederetur, in gurgitem philosophicum ipse facile abriperetur, atque adeo a theologo in philosophum mutaretur. Qvid autem in philosophis spectare debet? Ex ea ratione, qva fidem Christianam cum ecclesiæ tum maxime scripturæ ope percipimus, seqvitur, ut certos qvosdam et fixos doctrinæ fidem spectantis locos habeamus, qvibuscum ea, qvæ in systemate philosophico philosophando evincuntur, comparanda sunt. Qvæ igitur his fidei articulis conveniunt, tibi elige, qvæ contradicunt, rejice, qvæ philosopho peculiaria sunt, ut suum cuique tribuatur, ei relinqve. Qvam tuta sit hæc progrediendi via, qvo melius cognoscas, exemplum theologicæ philosophorum explorationis affere liceat:

Spinoza Deum esse substantiam volebat, nec phænomena mundi qvidqvam esse nisi modos et modificationes hujus substantiæ absolutæ; cum vero hoc Pantheismo et personalitas et immortalitas atque adeo moralitas hominum prorsus tollatur: et fidei et sacræ scripturæ aperte repugnat, qvare a theologia removenda est.

Docuit *Fichtius* τὸ Ego humanum esse omnium re-

rum auctorem, in Atheismum igitur et crassum Pelagianismum incidit; sed philosophiam, qvæ et sanam mentem et pietatem nostram adeo lædat, qvis in theologia Christiana toleret.

Vides igitur qvantam in philosophiam auctoritatem exerceat theologia; nam hac ratione decem philosophi una hora examinari possunt.

§ 19.

Concedendum est, hanc theologiam omnia veritatis momenta habere; confitendum est, religionem Christianam esse revelationem positivam, cujus ideæ per abstractas atque aprioricas (sit venia verbo) meditationes inveniri et explicari non possint; concedendum est, scripturam sacram esse doctrinæ normam et omnia reliqva. Qvod autem gravissima veri momenta commemorantur, non magis inde seqvitur, veritatem iis inesse, qvam inde, qvod omnia corporis humani membra enumerantur, seqveretur, ut homo, cujus sint, viveret.

Omnis igitur qvæstio in eo versatur, qvanam ratione momenta conjuncta sint et conjungenda; num ab altero in alterum verus transitus fiat. Qvod si recte perpenderimus, mox elucere videtur, foedus, qvod inter fidem et rationem pactum sit, non esse solidum, neqve pacem ex eo, qvod utrique legitime satisfit, esse conciliatam, sed periculum utrinqve imminens modo inducias extorsisse. Respiciamus primum relationem, qvæ est inter subjectivitatem et objectivitatem. Libertas subjectiva, qvam ea theologia commendat, et nimis effrenata esse videtur, et simul nimis coartata atqve restricta. Incipitur a fide hominis in

ecclesia educati; initium fit ab ea vi universali, qvam vita Christiana in unumqvemqve exercet; res est igitur in facto posita, esse homines suo qvemque ingenio præditos, ut de eorum indole uberius disputari non possit. Cum vero eadem rerum ratio eademque eruditio ingenia diversa diverso modo afficiat, neque nisi per fidem subjectivam ulla valeat doctrina: non veritas objectiva mentem emendat, sed ingenium subjectivum, qvid bonum et verum sit, constituit. *Credam ea, qvæ mihi maxime arrideant*[1]). Sed ea libertas tamen ad servitutis conditionem prope adducitur; cum enim natura subjectiva ita urgeatur, ut in ea sit elementum prorsus peculiare ɔ: spatium meræ proprietatis vindicans: objectivitas ab altera parte terminos suos ita fixos et stabilitos reddit, ut positiva momenta extrinsecus oblata obedientiam externam qværant; qvare qvæ positivitatis elementa remanent, non in succum et sangvinem convertuntur. Qvæ repugnantia ex iis, qvæ conseqvuntur, melius illucescet. Laudatur ea distinctio inter fidei essentiam et involucrum, ut fides Christiana in ecclesia acqviratur, non autem in ejus formis acqviescat. Formæ ecclesiasticæ, inqviunt, non sunt plane congruæ; sed qvid

---

1) Conferri debent, qvæ de Solipsismo theologiæ criticæ disputavit I. Martensen: „Cum igitur Dei idea auctoritatem suam traxerit ex illa conscientia practica sive ex sensu illo infinito, (non vice versa), vis et potestas ejus constitutiva evacuata est, et si talis vis illi tribuitur, hoc solum nominalistice fit, quum id, qvod omnia constituendi et sanciendi vim habet, etiamsi Deus non apellatur, Deus tamen actualis, præsens numen in animo humano summo jure dici potest.“ *De aut. consc.* p. 37.

tandem hoc sibi vult, formam esse congruam? Si formam hujusmodi intelligo, qva essentia divina revera exprimatur, tum juxta hanc theoriam nullæ formæ sunt congruæ; sin autem formæ congruæ sunt, qvæ veram fidem servent et indicent, tum hoc dilemma evitari vix poterit: aut statuendum est, ecclesiam veras atque congruas doctrinæ formas habere, tum vero pari dignitate gaudet doctrina ejus et scripturæ; aut, si formæ et locutiones ecclesiæ magis minusve depravatæ sunt, fides qvoque, qvam affert, magis minusve corrupta est, et tum interpretatio scripturæ, qvæ veram fidem ab ecclesia reportatam, postulat, non continget. Faciamus periculum ejus, qvam excitavit in nobis ecclesia, fidei ita retinendæ, ut mittantur aut saltem in dubium vocentur singula doctrinæ ecclesiasticæ placita: qvomodo fidem habere possumus, objectis fidei remotis, si omnia, qvæ de Deo, de Christo etc. nos docuerit, scripturam perlecturi in dubium vocabimus; tum sane etiam, Deum *esse*, Christum homines a morte liberasse et in salutem vindicasse, dubitari oportebit; ita vero a mera fidei negatione incipiendum erit scripturæ studium, qvod absurdum est. Qvibus recte ponderatis, negari vix poterit, fidem ab ecclesia acceptam universalibus fidei articulis esse adstrictam, ut nemo absque opinionibus præceptis ad scripturam sacram accedat. Eo igitur redit qvæstio longe gravissima, qvomodo articuli fundamentales elementa ecclesiæ concreta sed minus vera exuant, atque authenticas scripturæ formas induant.

Docet ecclesia esse Deum, sed qvæ sint Dei qvalitates, qvomodo erga nos affectus sit, scriptura docebit. Itaque hoc a vero scripturæ lectore qværitur, ut ab

omnibus Dei qvalitatibus, qvatenus ecclesia eas descripserit, abstrahat, ut concretam Dei notionem e scriptura eruat; sed cogitatio de Deo ab imaginatione qvadam Dei removeri nunqvam poterit, qvare doctrina ecclesiæ de natura Dei in animum lectoris, sive placet, sive non placet, semper influat, necesse est. Qvod si enim in ea Dei descriptione, qvam attulerit ecclesia, acqviescit, Deum ecclesiæ scripturæ Deo prorsus similem inveniet; sin autem jam ante scripturæ lectionem in nonnullis rebus a doctrina ecclesiæ Deum spectante discesserit, profecto ea doctrinæ ecclesiasticæ negatione positiva Dei notio in animo ejus sive clarius sive obscurius dudum apparet. (Velut si qvis a parte negativa trinitatem Dei, qvalis ab ecclesia docetur, non agnoscit, a parte positiva alium Deum sive Judæorum sive Muhamedanorum vel si mavis Judæorum aut Muhamedanorum more descriptum colit: neque, cum habet fidem Judaicam aut Muhamedanam juxta hanc nostram theologiam, qvæ conditionem scripturæ recte legendæ fidem Christianam esse voluit, in scriptura Deum triunum inveniet). At qværitur, inqvies, in lectore Christiano, ut, licet notiones rerum divinarum qvasdam præceptas habeat, iis non stricte et contumaciter inhæreat; qværitur volubilitas docilis, qvæ semper opiniones subjectivas ad scripturæ eloqvia accommodet; qværitur vera interpretandi methodus. Sed qvænam illa methodus est, qva ad verum scripturæ sensum pervenire conemur?

Removenda sunt impedimenta, qvæ propter diversitatem cum lingvæ tum temporis lectori viam præcludunt, et qvanta sint hac in re Criticorum et Philologorum eruditorum merita, inter omnes constat; sed si universalibus

loqvendi agendique conditionibus, cui sacri auctores adstricti essent, exploratis, observationibus psychologicis additis, ad eum fere verborum atque enuntiationum sensum pervenimus, qvem orationi scriptores tribuisse putandi sunt: qvantum tamen intervallum restet, anteqvam ad æternas opinionum et placitorum significationes penetremus, in confesso est. Duplex hac via difficultas oritur; primum enim verba et locutiones scripturæ nihil aliud sunt nisi imperfecta rerum altissimarum signa; deinde conditiones illius ævi effecerunt, ut scriptores et externis et internis rationibus ad singularem iisque temporibus prorsus peculiarem scribendi formam adducerentur; qvare vel sagacissimæ hujusmodi observationes exegeticæ hoc tantum eruere possunt, qvomodo sacri scriptores res expresserint, non autem qvomodo eæ res a nobis cogitandæ sint; nam propter eam, qvæ inter ideam et involucrum esse statuitur, diversitatem, concedi potest, apostolos hac vel illa ratione doctrinam exposuisse, nos autem non posse doctrinam ita cogitare[1]).

---

1) Exemplum offert doctrina de Diabolo. Qvod vero ipsum distingvendi principium attinet cfr. Dr. Hagenbach: Encyclopädie u. Mthdl. der theologischen Wissenschaften p. 174 & 175. Sache der Auslegung ist es, in Stellen, wie Rom. III, 24. 25. IV, 25. V, 9. 10. VIII, 34. 1 Cor. XV, 3. Eph. I, 7. 1 Pet. I, 18. 19. II, 29. I Joh. I, 7. Hebr. VII, 26. IX, 28 u. s. w. die Versöhnungs- und Opfertheorie als eine den Schriftstellern des N. T. geläufige Idee factisch anzuerkennen. Aber verschieden kann die weitere Erklärung der Stellen ausfallen, je nachdem man sich entweder damit begnügt solche Ideen in ihrem historischen Zusammenhange mit dem alttestamentlichen Opferwesen u. s. w. aufzufassen, oder

Qvod dogmaticam igitur attinet, concedendum est, illas disqvisitiones a parte negativa multas falsas locorum applicationes removisse, a parte vero positiva nihil omnino valent; ideæ dogmaticæ alia prorsus via qværendæ sunt. Sic autem eo redit disputatio, unde egressi sumus, qvomodo positivæ fidei formæ ex sacra scriptura eruantur.

Qværitur, ut a sententiis clarioribus ad reconditiores atque obscuriores explicandas transeatur. Cum enim quæ immediate elucent notiones fere semper sint vacuæ, inanes atque adeo iejunæ: tum ea comparationis arte haud raro fit, ut ideæ profundiores evanescant. Velut qvando disputatur, qvid sit, qvod Christus (Joh. 15, 1. 4) *Ἐγώ εἰμι*, inqvit, *ἡ ἄμπελος, ὑμεῖς τὰ κλήματα* et (v. 9. 10.) *Ἐὰν τὰς ἐντολάς μου τηρήσητε, μενεῖτε ἐν τῇ ἀγάπῃ μου*: tum magna qvæstio est, unde explicationem incipiamus, utrum dicamus, relationem, qvæ inter Christum et discipulos intercedat, eam esse, ut, nisi revera ex ejus vita vitam haberent, ex ejus medulla vim sugerent, nulla esset vis amoris ethica, nullus Christianorum amor; an ita disputemus: qvid sibi velit nexus ille realis inter Christum ejusque fideles non intelligimus, sed qvid sit amor et obedientia erga præcepta Christi unusqvisque intelligit; qvare illa loqvendi ratio et similes hujusmodi inter meras imagines easque orientales annumerandæ sunt. Pari modo vacillamus, ubi Christus (Joh. 17, 11) dicit se esse cum patre conjunctum (*ἵνα ὦσιν ἓν καθὼς ἡμεῖς*); utrum hic

---

je nachdem man sie auf ein tieferes religiöses Bedürfniss nach Erlösung zurück zu führen und in ihrem innersten, geheimnissvollen Grunde erfassen zu müssen glaubt.

scriptura doceat, substantialem esse patris et filii identitatem, eaque demum fieri, ut Christani, fide habita, in eandem societatem realem perveniant, qvam nemo cognoscit, nisi qvi ex Deo nati θείας κοινωνοὶ φύσεως reddantur; an contra ita concludendum sit: Christus et pater in unum conjuncti sunt, qvemadmodum Christiani et Christus; hæc autem unitas moralis est; qvid sibi velit ea societas moralis unusqvisque homo sanæ mentis percipere potest; in hac notione acqviescamus, qvæ enim substantialem unitatem spectant, figurate et prægnanter dicta sunt, neqne ad pietatem ipsam pertinent.

Neque aliter res cedet, si de notione spiritus sancti agitur. Describitur (Joh. 14, 16) spiritus ut persona (Joh. 14, 26.) ὑμᾶς διδάξει πάντα (Joh. 16, 13) ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν (cfr. 1 Cor. 2, 10. 11) apud Lucam vero appellatur δύναμις ἐξ ὕψϐς; duplex est igitur interpretandi methodus: qvi enim credunt, spiritum sanctum esse personam, non negant ii qvidem eum esse vim, sed contendunt plus qvam vim esse; qvi autem ex immediata rei perspicuitate exeunt, declarant se non posse intelligere, qvomodo spiritus sit singularis in Deo persona, dicunt sufficere, si statuamus, eum esse vim qvandam divinam[1]). Huc accedit, qvod si partem dogmaticam respicis, ita comparata est omnis scripturæ doctrina, ut momenta invicem opposita, immo contraria afferat.

Docet scriptura, ut hujus rei exemplum afferamus,

---

1) Exempla circulorum hujusmodi ex dogmatica Bretschneideri quam plurima peti possunt; Cfr. v. c. De trinitate § 81 p. 495 Handbuch der Dogmatik Ister Band 2te Aufl. Leip. 1822; De persona Christi § 140 p. 167, 2 B.

Deum esse non solum benignum et misericordem, sed etiam peccatoribus iratum. Qvis igitur ex scriptura discet, utrum misericordia absoluta premenda iræ realitatem ad subjectivas hominum opiniones referat, an objectiva iræ notione misericordiæ ambitum restringat; aut denique naturam Dei ita comprehendat, ut Deus licet *ad intra* beatissimus sit, ad extra tamen, propter peccata mundi in eam iræ et amoris reconciliationem ineat, ut per incarnationem amor plenissimus iram objectivam ab iis, qvi Christo fidem habent, removeat. Analogiam, inqvies, scripturæ laudemus, expiationem Christi respicientes. Verum enim vero tantum abest, ut iis locis, qvi Christum spectant, afferendis nodum expedias, ut intricatio major fiat. Scriptura docet ea qvidem, mortem Christi esse documentum Dei amoris, sed docet eadem, amorem Dei et Christi in eo maxime apparuisse, qvod poena peccatorum nostrorum in Christum, cruci affixum, translata sit; qvare si objectivitatem iræ defendis, ad satisfactionem, qvæ vicaria dicitur, pervenies; sin autem Deum iratum cogitare non poteris, expiationem omnem ad mutatas hominum de Deo opiniones restringes. Cum vero notio iræ a notione satisfactionis, satisfactionis vero notio ab iræ notione pendeat, analogia analogiam in infinitum qværit, ɔ: analogia docet, nullam esse analogiam.

At forsitan ad hæc objecerit aliquis, nos ex ea scripturæ sacræ oeconomia optime admoneri, verum esse, quod sæpius afferatur, Deum nolle, homines a parte objectiva de rebus divinis erudiri, omnesque difficultates, quas attulerimus, inde solum esse extortas, quod nimiam vim doctrinæ objectivæ tribuerimus; testari id scripturam, cum

imaginibus et notionibus universalioribus ad captum humanum adaptatis naturam Dei et amorem et reconciliationem describat, quo animi humani doctrina de peccatorum venia erecti, ad quævis bona parati sint. Verum enim vero nonne sic eo pervenimus, unde egressi sumus, ad universales, inquam, ecclesiæ articulos?[1]) Fructus igitur totius laboris critici in eo constat, ut post tot disquisitiones comprobet, scripturam a parte dogmatica declarare, se nihil nos docere posse præter ea, quæ ecclesia Christianos jam docuerit. Ita vero Criticorum studio eruitur, quod ipsis contradicat; promiserunt enim nobis, fore ut, cum fidem universalem ad scripturam legendam afferremus, ex ea concretiorem fidei formam assequeremur. Sed inspiciamus paulo accuratius, num ea objectivitatis ignorantia, quæ toties commendatur, fidei revera conducat. Per se patet, fidem in re prorsus ignota esse non posse. Si enim dico, me credere creatorem mundi, sed simul nego, me quidquam omnino scire de ratione creandi, tum mihi contradico. Quærenti enim, quid sit creatio, abstinere non possum, quin creationem statim definiam esse actionem absolutæ Dei libertatis; libertatem igitur absolutam, quoad fieri potest, cogito; libertatis imaginatio abesse non potest; si vero ea imaginatio aut notio prava est, credo rem pravam i. e. pravam fidem habeo. Porro si

---

1) Quam lubrica sit ejusmodi explicatio pluribus modis elucet; ita v. c. dicitur Joh. 4, 24 *πνεῦμα ὁ θεός*, sed 1 Joh. 1, 5 *ὁ θεός φῶς ἐςι*, quare si quis non intelligeret, Deum esse spiritum, melius autem intelligere sibi videretur, quid sit lux: nonne tum facile suspicari poterat, Deum Christianorum et Deum Magorum esse eundem Deum?

quis confitetur, se credere Christum habere naturam et humanam et divinam, negat autem se cogitare posse, quomodo sint conjunctæ, se ipse decipit; nam quatenus aliquam naturæ humanæ et divinæ notionem habet, eatenus etiam conjunctionem cogitare potest: si vero seposita omni de qualitate naturarum opinione, natura humana est x et divina y: credit conjunctionem inter x et y; credit nescio quid i. e. nihil credit[1]).

---

1) Non in eo discrepat dogmatica critica a speculativa, quod hæc sola neque vero illa empiriam internam agnoscat; in eo consentiunt, absque positivis vitæ spiritualis elementis nullam doctrinam efformari posse; eo simul spectant, ut imaginationes et notiones recte constituantur. Sed in diverso eorundem elementorum positivorum usu discrepantia quærenda est. Theologia critica modo negativa ratione eas imaginationes et ideas tractat; quare cum, allatis scripturæ locis et dijudicatis ecclesiæ opinionibus, indicaverit, quomodo creatio non sit cogitanda, imaginationem hujus actus unicuique relinquens ad aliam doctrinæ partem pari modo tractandam transit. Cum vero ita Critici omnia elementorum fragmenta sparsim attigerint, vehementer mirantur, quando theologi speculativi de objectiva rerum divinarum comprehensione loqvuntur, quasi elementa hujusmodi theoriæ ex aëre essent capienda. Quomodo, inquiunt, potest homo de creandi ratione cogitare, cum extra omnem empiriam posita sit; seculorum intervallum, quod inter nos et rerum initium jacet, quis mortalium superabit? Profecto si hujusmodi saltus quæreretur; tum sane non solum nebulosum esset omne metaphysicæ studium, sed etiam, cum labentibus annis magis magisque a puncto initiali removeamur, difficultas philosophandi indies cresceret. Verum non ita res se habet; ultra fines empiriæ humanæ vera philosophia nunquam transgredi audet; sed positivis vitæ elementis alia ratione utitur, quod enim efficit, ut imaginatio creationis et libertatis esse possit,

Sæpe audimus, scripturam sacram non continere systema philosophicum, sed popularem esse; quæ observatio æque trita ac vera non in unum sensum accipitur. Quod si enim, qui ad simplicitatem scripturæ provocant, inde monstrare sibi videntur, objectivas doctrinæ formas in medio relinqui posse, modo reflexiones circa pios sensus et præcepta moralia pro ea, qua gaudet ætas nostra, eruditione, excolantur: contra totam scripturæ oeconomiam agunt. Viam prorsus contrariam scriptura commendat. Verum quidem est, in scriptura simplicissimam esse rerum divinarum descriptionem, sed tenendum est etiam, explicationem pietatis et moralitatis esse æque simplicem. Tantum abest, ut a subjectivitate hominum incipiat, ut contra ab objectivitate Dei ratione perspicua se revelantis per spiritum suum novum vitæ *atque sapientiæ* principium hominibus largientis, omnem pietatem et moralitatem deducat. Eam igitur distinctionem, quam tu facis inter objectiva et subjectiva cognitionis momenta, scriptura minime novit. An credamus, Paulum, cum prædestinationis doctrinam proponeret, ita secum meditatum esse: Nescimus quidem, quid Deus in se sit, et quænam sint ejus concilia; cum vero per ideam prædestinationis magna modestia Judæis inculcetur, magnum solatium Christianis

---

efficit idem, ut speculativa creationis notio esse possit. Notionem libertatis absolutæ dogmatica critica leviter attingit, sed quærit dogmatica speculativa, cum sit scientia, ut notionem ad extremos usque fines persequamur, qua via ad metaphysicam creandi notionem pervenimus. Quare quæ momenta positiva in medio relinquit dogmatica critica, tu igne dialectico lustra, et eveniet dogmatica speculativa.

hauriatur: fingamus hujusmodi doctrinam! — μὴ γένοιτο! Quare si in rebus objectivis ætatis apostolicæ infans esse velis, in subjectivis etiam criticisque reflexionibus infans esto! sin autem ad meditationes instituendas, ad dubia solvenda tempora te trahunt, objectivitatem quoque rerum divinarum nolito contra exemplum scripturæ negligere.

Eadem ambiguitas, quæ ex compositione momentorum critica sequitur, in sacra quoque historia tractanda appareat, necesse est. Totam historiam sacram Criticismus in duas partes dividere potest, ita ut ad priorem partem pertineant, quæ de personis sacris sic traduntur, ut etiam nostro tempore similia evenire posse credatur, (veluti Christum ex Judæa in Galilæam ivisse, populum allocutum esse, singularem erga omnes amorem exhibuisse). Communia igitur hæc sunt historiæ sacræ et profanæ. Ad alteram vero partem annumerandæ sunt eæ res, quæ historiæ sacræ peculiares sunt, in quibus præsentia Dei immediate apparet. Duplex hic momentum quæritur, primum ut res, quæ narrentur, revera evenisse statuantur, aliter enim ad historiam non pertinerent; deinde ut ideæ, quæ supra naturam sunt, non aliunde in res vulgares introducantur, sed ex ipsis rebus eliciantur; quæritur, ut momenta et supranaturale et naturale in idem concidant, eadem realitate atque perspicuitate prodeant. Inde autem maxima difficultas. Nam propter involucrum supranaturale ad momenta vere naturalia (respici possunt natalia Christi aut resurrectio) penetrare non potest ars critica; neque si poterat nisi violato fidei foedere, in apricum proferre liceret; itaque quod momentum naturale attinet, semper confitendum est evenisse nescio quid. Quod autem mo-

mentum supranaturale spectat, tum Criticismus quidem in universum non semper negat miracula fieri posse; nam principio convenienter regnum illud fidei confinia hujus nostri attingit; cum autem finitum non capiat infinitum, neque invisibilia ullo modo rebus visibilibus inesse possint, semper in singulis casibus de miraculo dubii hæremus. Cum vero in ea ratione, qua res miraculosa narrata sit, acquiescere non liceat; restringitur ita quoque momentum supranaturale ad nescio quid. Sic autem evanescit ea pars historiæ sacræ ab ipso historiæ regno. Quæ restant momenta positiva, pertinent ad involucrum, quod piorum phantasiæ debetur. Cum enim idea de filio Dei visibili forma filii hominis realiter exprimi non potuerit, in pio apostolorum animo natus est ille filius Dei.

Quæ si recte disputata sunt, negari vix potest, compositionem quandam positivismi et, ut ita dicam, liberalismi apud Criticos prævalere, quæ absurdam efficiat mediocritatem. Interdum enim, quando systema cogitando explorandum Criticis opponitur, ad auctoritatem sacrarum litterarum confugiunt, et distingventes inter verbum Dei et verbum humanum iis, qui dogmaticæ speculativæ operam dant, scriptura! scriptura! acclamant, quemadmodum Luthero olim Catholici: patres! patres! — *Verum est, quia scriptura dicit.*

Rursus autem, quando de libertate disquisitionis criticæ agitur, tum subito evanescunt omnes positivismi scrupuli, tum concedunt, non multum interesse, utrum scriptura ab apostolis an ab aliis viris piis seculo primo viventibus scripta sit, tum libere distingvunt inter ipsam

scripturæ formam et verbum Dei. — *Scriptura est sacra, quia verum dicit.*

Non dubitamus, quin relatio sit reciproca inter testimonium veritatis de scriptura et scripturæ de veritate; sed hoc vehementer dubitamus, num principia prorsus contraria externo modo componi possint. Aut confitendum esse videtur, nos sicut patres nostros judicium scripturæ prorsus submittere, et tum inspiratio verbalis laudanda erit; aut nos verum ubicunque veritatis nomine accipere, nec tum ulla causa est, cur statuamus, Deum immediate a tempore Christi usque ad tempus Trajani per quosvis pios homines locutum esse et postea omnem loquendi actum hominibus reliquisse. Par est ambiguitas ubi de ratione inter universalem scripturæ ideam et singulos locos disputatur; quando enim Criticis placet, singulis scripturæ effatis inhærent, et si quid contra opiniones eorum profertur, semper interrogant: ubinam hoc scriptum legitur? ne verbo quidem ejus rei mentionem scriptura facit; disputant igitur *κατὰ ῥητόν*. Quando autem certi loci contra eos afferuntur, tum distingventes inter rem et involucrum libertatem cogitandi defendunt, affirmantes, ex idea et oeconomia universali concludendum esse; placet ita disputare *κατὰ νοητόν*[1]). Ea autem est veri „mystificatio," quæ auctoribus suspicionem ὑποκρίσεως facile moveat; simulata enim esse videtur summa erga scripturam veneratio, ut prætextus libertatis subjectivæ habeatur.

---

1) Ut exempla utriusque disputandi rationis habeas cfr. Bretschneider: De obedientia activa § 157 (p. 285. 2 B.).

§ 20.

Dic mihi qualis sit metaphysica tua, et demptis opinionibus privatis, dicam tibi, qualem dogmaticam scripturæ interpretationem proferas. Neque enim credimus, si profiteris, te nullam sequi mataphysicam, sin autem diceres, nescire te quamnam sequereris, crederemus[1]). Quare omnis Criticismi progressus, si dogmaticam et scientiam theologicam spectas, sperandus est non ex disquisitionibus aut historicis aut philologicis denuo repetitis, sed ex metaphysica emendanda. Quod si metaphysicam eorum per omnes ejus partes contra objectiones dialecticas defendere possunt, tum constabit sibi theologia critica, suprema scientiæ forma, quam in hac vita mortales assequi possunt, laudabitur; sin minus ultra progredi liceat. Utut est: defensio ex sacra scriptura peti non poterit; sed audiendum est, quod nostro tempore sæpius[2]) inculcatur Clementis illud: „*Philosophandum est*, *vel si minime philosophandum est*[3])."

---

[1]) Es hilft der Theologie nichts, sich dagegen zu sträuben, zu sagen: sie wolle nichts von Philosophie wissen, es seyen Philosopheme, also auf der Seite liegen zu lassen. Sie hat es immer mit Gedanken zu thun, die sie mitbringt; und diese ihre subjectiven Vorstellungen, Gedanken, ihre Haus- und Privat-Metaphysik sind dann die Reflexionen, Meinungen u. s. f. der Zeit .... diese allgemeinen Vorstellungen sind nichts, als was sich auf der Heerstrasse findet, was auf der Oberfläche der Zeit umherschwimmt. Hegel: Geschicht. d. Phil. (W. 15 B. p. 268).

[2]) Cfr. Fr. Baader: Vorles üb spec. Dogm. I H. p. 17. J. Martensen l. l. § 1.

[3]) Hoc etiam illorum ingeniosissimi et celeberrimi theologorum agnoverant v. c. De Wettius: .... ich schmeichele mir mit

Metaphysice igitur metaphysicam Criticorum respiciamus. Ex ipsa Criticismi natura sequitur, ut momenta

---

der Hoffnung, dass ich wenigstens die allgemeine Ansicht, welche für die Theologie von entscheidender Wichtigkeit ist, klar genug gemacht habe. Und diese ist keine andere, als *die Unterscheidung der Verständigen, idealen und ästhetische Ueberzeugung* welche ich für den Schlüssel der ganzen Theologie halte. Relig. u. Theol. p. IV. cfr. etiam p. 162—172.

Ita Criticus quoque, nescio quis, cum librum Weissii qui inscribitur: „Die ewangelische Geschichte" dijudicet (Kritische Prediger-Bibliothek v. D. J. F. Röhr 20 Band 29tes Heft. p. 200—219), armis certat metaphysicis. Cum Weissium vituperet, quod substantialem Christi, hominum, Dei unitatem doceat, videtur quidem ad auctoritatem scripturæ confugere: „Diese Einheit aber der Menschen mit Gotte ist nicht eine substantiale, ein Hineinbilden unserer creatürlichen Selbstheit in die göttliche Substanz, es ist eine moralische nach der ausdrücklichen Lehre Jesu und aller seiner Apostel" .... si vero rationes ejus accuratius respexerimus, ad metaphysicam eas pertinere apparet; primum enim rationem illam substantialem improbat, quod eam intelligere non possit: „Was sollen wir uns aber auch unter jenem Hineinbilden in die göttliche Substanz Vernünftiges denken?" Deinde ei persvasum est relationem substantialem veræ Dei ideæ repugnare adeoque moribus emendandis non prodesse: „und indem so der Rationalismus die pantheistischen Gedanken von einer Menschwerdung Gottes, einem sich Hineinbilden in die göttliche Substanz verwirft, weil sie einerseits unerweisbar und der reinen Gottes-Idee widersprechend, desshalb aber auch andererseits für Beförderung der Moralität gleichgiltig erscheinen .... Ne vero objicias, meras esse affirmationes, quarum priorem potius quam posteriorem admittas, auctor indicat etiam, se omnem disquisitionem via philosophica peractam velle, immo affirmat, omnes hujusmodi

positiva discernat (est enim κρίσις ipsa distingvendi et secernendi actio). Regnum intellectus regionem fidei tangit, non autem ita, ut identitas unquam eveniat, sed tangendi ratio est simul repellendi causa. Intra fines suos videtur utrumque in se acquiescere, sua modo elementa habere, unde indifferentia mutua oritur. Quæ si absoluta esset, profecto inde sequeretur, ut theologia prorsus superflua esset, immo absurda; nam si scientia theologica modo in finitarum rerum regno versatur, fides vero supra

---

quæstiones dudum solutas fuisse, nisi forte accidisset, ut philosophia speculativa Crticismum ad tempus removeret: „Hätte man hier die Bahn verfolgt, welche der unsterbliche Kant und die Anhänger seiner Schule betraten, die völlige Aussöhnung der philosophischen Speculation mit dem reinen und einfachen Christenthume, würde zum Heile der ewangelischen Kirche bald erfolgt, aller unnützen philosophischen Grübelei über Dinge, die wir nun einmahl nicht zu erkennen vermögen, und die darum auch für unser wahres sittlich-religiöses Leben keinen Werth haben, würde vielleicht für immer vorgebeugt, und somit ein Höhepunct deutscher Philosophie erreicht worden seyn, den diese Wissenschaft in keinen unserer cultivirten Nachbarstaaten so bald erreichen dürfte (!!!). Da trat die Speculation der absoluten Philosophie dazwischen .... Trots dem aber werden diese Extreme philosophischer Speculation ihre heilsamen Folgen haben; sie werden darauf zurückführen, dass wir den Grund der Erkenntniss göttlicher Dinge allein in den Anforderungen unserer sittlichen Natur suchen .... Allatis rationibus ejus gravitatis ad emphasin augendam, ut Weissium silentio verbi divini ad silentium redigat, ex scriptura disputat κατὰ ῥητόν: Wo lesen wir in den heiligen Urkunden ein Wort von einem Hineinbilden des creatürlichen Selbst in die göttlichen Substanz?

omnem intellectum evecta suas res curat: tum intra fines regni sui tuta est, divinas ideas proprio Marte percipit. Verum ea exclusio mutua, si accuratius consideratur, se ipsa tollit. Ut enim fides sibi relicta suarum rerum ordinem exponeret, diversa momenta sensuum piorum prodirent, necesse erat; ita vero alterum altero restringeretur, omnesque fines perrumperet intellectus rerum finitarum moderator. Neque ab altera parte intra terminos suos sibi satis est regnum intellectus, nam si finita ejus elementa se invicem definiunt, fines tolluntur; finito enim quâ tali finitum simile est, nec unquam terminatur nisi per contrarium sui i. e. per infinitum. Stat igitur, regnum sensus infinitum regnum intellectus finitum ubivis attingere, sibique adeo minus constare indifferentiam.

Nec ulla tamen sic sperari poterit definitio aut determinatio mutua, quot enim tangendi tot repellendi rationes; sed oritur ex hac methodo theologia, quam cum cogitationem neque ferat et desideret, incantatam vocaverimus. Intellectus formas et species definit, quare qui objecta fidei tenere cupit, ad intellectum non potest non provocare; cum vero non modo in universum, sed etiam in singulis casibus contradictio tautologica, finitum non capere infinitum multiplici ratione recurrat, objecta fidei intellectus captat, sed nunquam prehendit. Inquirit frustra in res gestas; nam ad normam pragmatismi naturalis omnia explorat; si vero hac via demonstrare poterat rem evenisse: evanesceret sane quod supra naturam positum est; sin autem contradictionem adversus vulgarem ordinem esse observat, rem evenisse negat; quærit igitur intellectus, ut quæ supra naturam elevata sunt naturali

modo evenisse appareat; cum tamen simul declaret, hæc regna sibi invicem contradicere. Quare si objecta fidei intueri volumus: abroganda est cogitatio; ea demum conditione fit, ut objecta fidei in formas definitas coelitus descendant. Cum vero res divinæ, quo agnoscantur, intellectum abrogatum quærant, theologia extra cogitationem posita est. Neque hoc solum, sed ea ipsa relatio quando cogitatur, etiam disturbatur et tela in infinitum retexitur. Dividitur Christus in hac theologia inter utraque regna. Ad regnum sensus et fidei pertinet filius Dei, ad regionem vero intellectus filius hominis; exspectaverimus ita has Christi naturas indifferentia mutua se invicem repellere, ita ut ad fidem et sensum nihil pertineret, quomodo Christus homo perciperetur, neque ad notionem humanæ naturæ accederet fides.

Rem vero accuratius pensitanti apparet, humanam naturam eo solum spectare, ut divinam definiat, neque ullo loco ab ea separari posse, quippe cum ex ea gloria divina undique eluceat, atque ita sensui æsthetico Christus totus manifestatur: videmur nobis Christum immediate aspicere, cogitare, comprehendere. Quando autem hanc cogitationem nostram cogitamus, tum redit indifferentia et repugnantia inter Christum hominem et Christum Deum: tum homo Christus in inferiore regione detinetur, sed Deus Christus ad coelestem regionem ascendit: tum intellectus homini præter Deum inhæret, et sensus Deum præter hominem captat: tum homo evenit vulgaris, Deus ineffabilis; evanescit Christus, quando eum prensamus, sicut meteoron fallax; et apostolus ita nos castigat: Ὦ ἀνόητοι, τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε; οἷς κατ᾽ ὀφθαλμὸς Ἰησοῦς Χριςὸς

προεγράφη. Gravissima autem difficultatis hujus ratio est, quod cum sensus et voluntas Christo consecrantur, ut sanctitate et plenitudine divina imbuantur, intellectus profanus restat, qui non divinam naturam, sed hujus seculi res comprehendat. Quamdiu igitur discrimen manet inter Christum et mundum, manebit etiam dissensus. Fides ut definiatur, ad intellectum ethnicum confugere coacta est. Cum igitur sensus infinitus sit atque adeo informis, intellectus quantum spatium ipsi et fidei tribuendum sit, terminos emensus, constituit; ita autem fidem Christianam regno suo, quando placet, facile expellit totoque imperio potitur. Ratio igitur tantæ potestatis sibi conscia mox aperte declarat, monarchiam absolutam ad se pertinere, omniaque momenta discreta cum coelestia tum terrestria, cum naturalia tum supranaturalia intra cogitationis suæ fines esse qværenda; atque ita prodit Rationalismus objectivus. Cogitatio est ratio, ratio Deus est; sed cogitatio est phænomenorum negatio, qua re ultimum Positivismi granum evanescit. Negatis autem phænomenis efformatur logica speculativa o: essentiæ puræ notio, Deus, qualis ante mundum creatum erat. Quem ad modum vero essentia pura extare non potest nisi per phænomenon reale, sic Deus quidem nisi per mundum extat atque ita expurgatur ultimum Supranaturalismi antiquioris residuum. Mundus autem complexus phænomenorum finitorum, si immediate per se spectatur, Dei naturæ repugnat. Repugnantia autem cum ad immediatam rerum existentiam pertineat, abrogata omni, ut ita dicam, ruditate, concordia Dei et mundi prodit perfectissima. Nihil igitur in se sunt singula existentiæ momenta,

sed per dialecticum in alia transitum considerantur et æstimantur; est igitur *progressus logicus.* Statuitur quidem finis manifestatio spiritus absoluti; sed absolutum ejus criterium est modo idealitatis et realitatis, essentiæ et phænomenorum immanentia, est igitur manifestatio logica. Quare cum systema a Logica per logica momenta in Logicam pregrediatur, *Panlogismus* jure dicitur.

Quare nova et cosmica rerum mediatio ut recte percipiatur, distingvendum est inter potentiam principii et manifestationem. In occulto principii gremio immediata essentiæ et phænomeni identitas latet, sed per discrepantiam demum momentorum ad veram atque concretam immanentiam pervenitur. Quæritur ita, ut ex essentiæ puræ regione in externum phænomenorum regnum descendatur, in phænomenis igitur plus quam phænomena quærenda sunt, atque hinc stimulus progrediendi. Quatenus enim essentia phænomeneno indiget, id constituit et conservat, quando autem per ejus limitationes existentiam suam pro virili efformaverit, terminos perrumpet, phænomenon antiquatum destruet, aliud et quidem præstantius in illius locum substitura. Quærenti autem cur præstantius demum sequatur neque jam ab initio adsit, respondendum est, præstantiam phænomeni posterioris prioris existentia atque interitu esse mediatam; priore enim destruendo et constituendo vim nacta est essentia. In alteratione igitur phænomenorum essentia sui tenacissima manet, quæ substantiæ instar, quod in unoquoque phænomeno essentiale inest, in alterum servet, fragile autem ipseque parum congruum destruat.

In diversis autem regionibus efformatio hæc diversa

ratione contingit. In inferiore naturæ regno imbecillior est essentiæ vis conservandi, unde tautologica phænomenorum repetitio et circulus uniformis. Vera progrediendi ratio in eo existentiæ regno quærenda est, ubi in discrepantia essentiæ et phænomeni firmissimum quoque utriusque vinculum apparet; ubi per phænomenorum negationem atque restaurationem essentia in semetipsam redit; ubi alteratio momentorum externorum est simul assimilatio internorum, ubi præteritorum datur memoria (Erinnerung) ɔ: *in historia rerum humanarum*.

Deus igitur e puræ idealitatis regno egressus, phænomena in naturæ regno conspicua constituit, ut iis negandis ad spiritum subjectivum ɔ: ad conscientiam sui humanam perveniat; optimam enim essentiæ atque phænomeni identitatem in conscientia sui humana invenit. Pertinet nostra nostri conscientia ad duas regiones. Regno phænomenorum finitorum et sensualium adstricti, peccatores sumus, morti obnoxii; per negationem vero phænomenorum ad regionem essentiæ absolutæ elevati, Deum in nobis præsentem habemus, eoque reconciliati sumus. *Fundamentum igitur historiæ absolutum religio est, ejusque finis perfecta Dei manifestatio.*

Cum tota igitur mediatio cosmica in religionis luce spectanda sit, quæ de relatione inter essentiam atque phænomenon in universum disputavimus: valent eadem de religionis vinculo, quo homines cum Deo conjunguntur.

Primum conscientiæ sui humanæ Deus immediate adest, ut in certo phænomeno conspicuus hic! illic! monstrari possit ɔ: revelatur Deus. In quavis autem revelatione duplex momentum observari debet, phænomenale et spi-

rituale. Phænomenon enim, revelationis organon, nec agnosci poterat, nisi idem religionis principium, quod phænomeno inest, spectatoribus quoque inesset. Utrinque igitur in unoquoque spectatore efformatur religionis idea; ab altera enim parte phænomenon individuale aspicit eique adhæret, ab altera vero essentiam phænomeni quærit sibique interpretatur; negat igitur phænomenon particulare et accidentale, ut quod in eo inest universale atque essentiale in succum et sangvinem convertat.

Atque hic valet: *qualis Deus in phænomeno talis in animo.* Quem ad modum igitur nulla religio nec apparitio Dei contingere potest nisi per phænomenon sensuale, ita nullum phænomenon ideam divinam simpliciter exprimit. Quare hic valet mediatio, ut, phænomeno empirico negato, vi ipsius ideæ restauretur aliud et quidem perfectius, quod religioni melius satisfaciat. Eam autem negationem et restaurationem instinctu quodam immediato conscientia sui humana suscipit, quare quod efficit, ut in ideæ commodum exornetur phænomenon, facit idem ut vere objectivum atque reale esse credatur.

Hinc oriuntur omnia quæ in historia sacra de apparitionibus Dei deque miraculis traduntur; atque ita elucet dissensus et consensus Panlogismi et Criticismi. Uterque enim efformationem naturæ pragmaticam, quæ vix ac ne vix quidem ullo potestatis altioris interventu dirumpi possit, strictissime urget[1]), uterque miraculum in dubium vocat. Quærit

[1]) Diese Ueberzeugung ist so sehr Bewusstseyn der neuen Welt geworden, dass im wirklichen Leben die Meinung oder Behauptung, eine übernatürliche Ursache, eine göttliche Wirksamkeit, habe irgendwo unmittelbar eingegriffen, gera-

enim vera miraculi notio, ut realis oppositio adsit inter voluntatem Dei et leges naturæ; ita ut naturæ mo[illegible]ta alterum ex altero sequantur, necessitati suæ adstricta; si enim vulgaris naturæ rerum decursus voluntatem atque consilia divina immediate exprimeret, omnia essent miracula atque adeo nulla; sed ea diversitas identitatem quoque habeat, necesse est; nisi enim voluntas Dei leges naturæ ipsa tulisset, easque cognosset, mutare eas non poterat. Fides igitur miraculi spectat identitatem voluntatis divinæ et legum naturæ metaphysicam; sed in efformatione historica credit, eam identitatem in talem discrepantiam transire ut collisiones existant, credit, in universali Dei providentia specialissimam hanc generis humani curam esse, ut, quando opus sit, licet mundus noster phænomenalis ab ipsa Dei essentia discrepet, Deus tamen illa phænomena in usum suum vocet atque illustret: ita ut homines per phænomenon non modo sibi videantur singularem Dei speciem videre, sed Deus etiam singulari consilio hoc sui phænomenon hominibus offerat.

Criticismo autem miracula sunt dubia, quia Deus, licet in se jam perfectus, adeo elevatus est, ut in phænemena sensibus percipienda descendere dedignetur; adeo sapiens et constans, ut leges quibus naturæ rerum decursum ab initio adstrixerit, nunquam immutet.

Rigidissima igitur inter puram Dei essentiam et regnum phænomenorum oppositio Criticis, in Deismum inclinantibus, fidem miraculorum tollit.

---

dezu als Unwissenheit oder Betrug betrachtet wird. Strauss L. J. § 14 p. 94.

In Panlogismo autem immanentia quidem Dei et mundi statuitur, sed ita ut modo ad universalem rerum ordinem, discrepantia autem ad res singulas pertineat. Quare quominus singulari ratione Deus ipse huic vel illi phænomeno revera inesset, duplex est impedimentum, primum enim quærendum erat, ut Deus conscientiam sui supramundanam ita in se reflexam haberet, ut de singulari apparitione cogitare posset; quod mediationi cosmicæ, supra commemoratæ, aperte repugnat; deinde Deus infinitus finito phænomeno inesset, quod item absurdum est. Illustratio igitur phænomenorum; meditatio de apparitionibus specialibus non ad objectivas Dei actiones, sed ad subjectivas hominum opiniones referenda est. Relationes vero sacræ, licet ad pietatem subjectivam referendæ sint, cum apud plures homines simul existant et credantur, sine idonea quadam ratione exoriri non possunt. Quare cum ratio atque occasio miraculorum narratorum objectiva sit, forma autem, qua res indutæ tradantur, phantasiæ spectatorum et auditorum debeantur: relationes illæ jure vocantur *Mythi*.

Duplex est igitur mythorum momentum, objectivum puta et subjectivum; multiplici ratione in se invicem transeunt, atque in hoc transitu explicando et dijudicando differt Criticismus a Panlogismo. Critici enim cum empiriam vulgarem laudantes res extrinsecus considerent, palpabilem ut ita dicam, realitatem quærunt, cum mediationis notione obscurata, non satis intelligant, cur non ab initio distinctio facta sit inter realitatem objectivam et opiniones subjectivas; agnoscunt quidem necessarium pro infantia illius ævi fuisse, aut saltem ejus ingenio consen-

taneum, ut ejusmodi traditiones divulgarentur; sed effecit hoc sæpe Criticorum Deismus, ut originem relationum illarum fraudi atque astutiæ acceptam potius referrent, quam ut earum auctorem Deum haberent[1]).

Longe vero aliter in Panlogismo æstimantur. Ea enim distinctio, quam Criticismus urget inter Dei ideam animo pio obversantem et Deum ipsum, Panlogismi principio repugnat. Quare si Criticismus concedit, traditiones miraculorum et revelationum ex idea quadam Dei ortas esse, Panlogismus comprobat, extitisse eas per immanentem Dei in animis humanis efficaciam.

Cum vero ita hae qualescunque Dei manifestationes necessarium in historia revelationis stadium efficiant, pertinent ad mediationem cosmicam neque sunt contemnendæ. Tantum igitur abest, ut fabularum ordini annumerentur, ut phænomena tradant in usum veritatis religiosæ restaurata atque exornata. Mythus igitur non solum momentum revelationis sed etiam illusionis continet[2]). Homines, inter qvos mythi extiterunt, crediderunt res narratas esse objectivas ɔ: Deum illas formas finitas extra conscientiam humanam assumsisse. Is autem error labente

---

1) cfr. Strauss Leb. Jesu (1838) Einleit. §§ 5. 6.

2) Wenn man die Religion im Verhältniss zur Philosophie bestimmt als das Bewusztseyn desselben absoluten Inhalts, aber nicht in Form des Begriffs, sondern der Vorstellung: so ist leicht zu sehen, dass nur unter und über dem eigentlichen Standpunkte der Religion das Mythische fehlen kann, innerhalb der eigentlich religiösen Sphäre aber dasselbe wesentlich und nothwendig vorhanden ist. l l. p. 98. § 14.

tempore detegitur et removetur; semper enim seqvens historiæ stadium priore perfectius est, et perfectior fit ideæ divinæ revelatio[1]). Intelligunt igitur homines, se res falsas huc usque credidisse atque inde luctus et tristitia, sed vident qvoque, qvando ad maturitatem intelligentiæ pervenerint, eadem Dei efficacia, ex qva illi mythi exorti sint, fieri, ut falsæ esse agnoscantur. Tantum igitur abest, ut errore detecto Deus homines relinqvat, ut propius accedat, atque hinc solatium et lætitia. Nam in eo etiam differt Panlogismus a Criticismo, qvod cum hic, abrogata relationum sacrarum auctoritate, ultima realis præsentiæ divinæ vestigia omittat, ille revelationem Dei semper continuatam habet. Deus enim non sine genere humano extat; spiritus Dei et spiritus hominum semper identitatem servant. Deus in homines prodit et homines in Deum redeunt.

Quæ autem de phænomenis sacris in universum spectatis valent, applicari ea posse in phænomenon religionis obsolutæ præstantissimum, per se patet.

Christus mythicus i. e. Christus, qualis in scriptura sacra depingitur, quo recte intelligatur, hæc tria momenta in censum veniunt.

1) Wie aber Bildung überhaupt Vermittlung ist: so wird die fortschreitende Bildung der Völker auch der Vermittlungen immer deutlicher sich bewuszt, welche die Idee zu ihrer Verwirklichung bedarf; und so erscheint jene Differenz der neuen Bildung und der alten Religionsurkunden .... Das Göttliche kann nicht so (theils überhaupt unmittelbar, theils noch dazu roh) geschehen sein; oder das so geschehene kann nicht Göttliches gewesen seyn — so wird die Differenz sich aussprechen. Strauss. l. l. § 1. pg. 2.

Primum respiciendum est phænomenon, quatenus empiria vulgari percipi poterat; cogitandus est Christus, qualis ab hominibus nostræ ætatis eruditis appareret, si inter nos prodiisset. Atque ex hac parte homo religionis ideæ absolute sibi conscius fuisse putandus est; alias enim tantæ rerum sacrarum mutationis causa non extitisset. Quod autem ideam religionis absolutam concepit non inde sequitur, ut persona sit æterna, miraculorum perpetrandorum potestate instructus, immo ejusmodi opinio ipsi religionis ideæ repugnat. Quatenus enim Christus homo erat, nec totam Dei plenitudinem, utpote individuum singulare, capere potuit, nec eam spectatoribus coævis manifestare. Itaque empiriæ vulgari nihil aliud offerre potuit nisi fragmenta quædam et stamina imaginis veræ Messianæ[1]). Prodiit autem consummato tempore, cum ætas jam magnum typorum apparatum haberet, quare cum ad hæc elementa principium illud in conscientia Christi conspicuum accessisset, cumque phænomenon particulare in ideæ commodum morti succubuisset: ea erat vis ideæ religiosæ inde conceptæ ut discipuli tanti magistri non possent, quin vitam et personam ejus denuo restaurarent, atque ita plenitudinem ideæ phænomeno fidelibus aspiciendo venerandoque mandarent. Quare licet ille Christus, quem nobis apostoli descripserunt, ex momentis sibi prorsus contrariis compositus sit, concedendum tamen est, nisi idea primum hac ratione externa depicta fuisset, homines nostræ ætatis eandem ideam ratione interna comprehendere non potuisse. Minime igitur negligendus est ille

1) cfr. Strauss l. l. Schlussabhandlung.

Christus, interiit quidem ut homo singularis ut phænomenon solitarium ɔ: κατὰ σάρκα, resurrexit autem illustratus, ut symbolum generis humani ɔ: κατὰ πνεῦμα, effecitque ut absoluta veritatis notio nobis contingeret. Itaque si quis Deo Panlogismi contentus est, mythicam etiam historiæ sacræ tractandæ rationem laudet, necesse est. Quare licet nulla nisi præsentiæ momentaneæ realitas servetur, licet vita subjectiva et phænomenalis semper ab objectiva et essentiali absorbeatur, Deus tamen in regno idearum idem manet; exsurgit ex singulorum hominum mortalitate sempiternum genus humanum; ceu verus Messias in monte beatitudinis panlogisticæ considit populumque edocet:

Beati sunt, qui speculativam terræ et coeli immanentiam credunt, nam eorum est regnum coeleste; beati sunt qui omnes de Deo supramundano opiniones ex animo expurgaverint, nam in puro ideæ speculo Deum videbunt; beati sunt, qui personæ propriæ immortalitatem magnanimi spreverint, nam magna eorum merces erit in regno memoriæ.

§ 21.

Ne vero qvis objiciat, novam istam religionis Christianæ explicationem propter neglectum scripturæ sacræ studium invaluisse, tenendum est, commendari eam a viris sagacissimis iisque eruditissimis, qvi in scriptura optime sint versati. Nullas ii disqvisitiones, qvibus in sacrum codicem introducamur, criticas neglexerunt; toto philologiæ sacræ apparatu instructi, omnia ζεύγματα ceterasque figuras subtilissime distingvunt; immo qvibusnam rationibus genealogiæ Christi reconciliari non possint, memoria tenent,

neque tamen poenitentiam agunt. Verum hæc es[illegible] proca vitæ et philosophiæ relatio, ut vita constituat momenta positiva atque discreta, eadem vero omnia simul conservet, vindicet singulisque singula adjungat. Cogitatio autem, qvæ est phænomenorum vitæ negatio et restauratio, qvæ intuendo comprehendit et comprehendendo intuetur; elementorum nunc discretionem nunc identitatem urget. Hinc omnis Deismi critici et Pantheismi speculativi jus atque injuria.

Apud Orientales, ubi obtusus mentis humanæ oculus phænomenorum multitudinem non nisi ab unitate essentiæ abstracta distingvere potest, ibi finita ab infinito absorbentur, et simplicissima reconciliatio est. Conscientia, qvæ meditatur, naturæ sensuali obnoxia jacet; qvare cum in animo momentum naturale prævaleat, instinctu qvodam immediato rationem existentiæ suæ percipit; omnisque elevatio ejus supra naturam in eo constat, ut sponte naturæ sua tribuat, eaqve ascesi instituta, ad nihil (ɔ: essentiam purissimam) revertatur. Conscientia igitur naturæ natura conscientiæ determinatur. Vita autem Christianorum longe aliter comparata est, ibi enim naturæ somniis non indulgetur; sed post tot rerum in facto positarum affirmationes et negationes, post tot spiritus labores emersit demum Panlogismus.

Qvalis autem realitas negatur, talem esse etiam restaurandi stimulum jam antea observavimus (cfr. § 7). Restauratio autem non semper est ea phænomenorum abnegatorum restitutio, ut eandem, qvam olim habuerint, dignitatem obtineant; sed restauratio dialectica est simul [illegible]ploratio. Videndum est igitur, num qvæ ex antiqva

religionis Christianæ natura in opinionum orcum negationis dialecticæ vinculis ligata detruserit Panlogismus, ea in perpetuum depressa tenere possit; an ideæ sint veritatis æternæ, qvarum ruinis palatium philosophiæ speculativæ superstruxerit, qvæ ideo diutius pressæ carcere dirupto vindictam sumant. Noli timere, inqviunt, Christiani sumus. Nonne Deus noster spiritus est absolutus, qvi naturam in æternum neget, ut eam illustret? nonne triunus est, qvi per trilogiam metaphysicam semper ex se exit et in se redit? Neque de profanatione revelationis dici potest; nulla unqvam Dei invidia coelum claudit, sed benignissimus semper cum hominibus vitam suam communicat. Unio personalis qvid est aliud, nisi intima illa conjunctio? Qvid? qvod Christus est ipsa religio; persona fuit historica, in cujus conscientia utriusque momenti identitas apparuit; ubi autem nunc versetur ille, qvid ad nos? est genus humanum ille θεάνθρωπος, qvi in unoqvoqve homine realiter adest, modo appareat. Christo igitur individuo transeunti nuntium remittamus, qvo æternum, præsentem adeoque vere historicum habeamus[1]). Qvid est

1) .... durch die Belebung der Idee der Menschheit in sich, namentlich nach dem Momente, dass die Negation der Natürlichkeit und Sinnlichkeit, welches selbst schon Negation des Geistes ist, also die Negation der Negation, der einzige Weg zum wahren geistigen Leben für den Menschen sei, wird auch der Einzelne des gottmenschlichen Lebens der Gattung theilhaftig. (His verbis refellit Straussius objectionem, qvam Schaller in libro, qvi inscribitur: der historische Christus und die Philosophie. S. 64. protulit). Diess allein ist der absolute Inhalt der Christologie: dass dieser an die Person und Geschichte eines Einzelnen geknüpft

enim vera historia nisi sempiterna realitatis præsentia? Qvid immortalitatem subjectivam desideras? *ὁ εὑρὼν* [illegible] *ψυχὴν αὐτȣ̃, ἀπολέσει αὐτήν.* Alienus erat ejusmodi egoismus ab illo tuo Christo, qvem toties laudas. Ille personalitatem subjectivam immolavit, ut per aliorum conscientias resurgeret inque coelum memoriæ gratæ ascenderet. In Christo igitur vivimus et moriemur et resurgemus.

Examinemus autem accuratius illam idealitatis et realitatis immanentiam, cui tota hæc religionis interpretatio superstructa est. Qværit idealitas abstracta, ut omnia momenta, qvæ vi negationis se invicem excludant, simul eam negationem intra fines suos ita reflexam habeant, ut positio et negatio ubivis in idem concidant. Pendet autem infinitæ determinationis veritas a negationis realitate. Idealitas autem abstracta modo abstractam sui identitatem in se continet, verum sui contrarium extra se removit; qvare intra fines ejus momenta mutua reale etiam sui contrarium ubivis desiderant; ideale per ideale, negatio per negationem definiri qvidem videtur, sed simulata modo ea difinitio est. Cum autem verum sui negativum extra se habeat idealitas abstracta, naturæ idealitatis contradicens evanescit. Seqvitur ita regnum externæ negationis i. e. regnum realitatis empiricæ, qvod ruinis illius superstruitur. Prima lex est, ut res positivæ altera alteram excludant, qvæ excludendi ratio primum qvidem ita cogitatur, ut singulæ intra justos terminos qviete fruantur;

---

erscheint, gehört nur zur geschichtlichen Form derselben Strauss. Schlussabhandlung l. l. § 149 p. 768.

,a vero terminus rei res sit, resque ita eveniat sui ltera, inqvieta contradictio apparet, infinitus alterationis atque annihilationis nisus medullam rei penetrat, regnum realitatis abstractæ semetipsum destruit. Cum vero hac destruendi ratione negationem sui perficiat, idealitatis ratio redit. Itaque cum pura idealitas nihil per se sit, nec qvicqvam realitas abstracta, profecto inde patet, existentiam hanc nostram non modo ab inqvieta illa inter idealitatem et realitatem oscillatione incepisse, sed eam etiam veri principii instar habere. Initium et principium in idem concidunt. Cum vero nihil in fine prodeat, nisi qvod jam in initio fuerit, fluctuationem in infinitum pergere non mirum est. Semper qvidem idealitas existentiam suam in regno realitatis captat; sed caduca sunt singula empiriæ momenta; frustranea igitur illius conamina; qvod si in se vera et perfecta esset idealitas, si in se existeret; tum qvidem fragmenta realitatis continere seque ipsa in regione empirica manifestare poterat; nunc autem manet fragilitas realitatis propter impotentiam idealitatis, et hujus impotentia propter illius fragilitatem.

Est ea discrepantia sui, qva θεάνθρωπος iste laborat, qvi in Christi locum substituitur. In regione idealitatis habitantem Deum genus humanum patrem suum videt; sed ille Deus non est subjectum in se fixum et stabile, non est Jehova, qvi sui tenacissimus omne sui negativum extra se habet, sed est pater, qvi filio ɔ: genere humano in æternum gignendo existentiam qværit. Qvomodo autem existit hic filius Dei? Non mera idealitas est; hæc enim pertinet ad patrem solum; neque abstracta realitas, qvæ per singulas res singulosque homines se exserit; sed ea

ipse transitus ab idealitate patris in realitatem mundi; mediator est inter Deum et mundum. Accuratius igitur hæc mediatio explorari debet.

Distingvendum est inter universalem generis humani conscientiam et singulas singulorum hominum conscientias sui. Universalis conscientia sui est Christus, non autem *Ego* illud individuum, sibi in æternum constans, quod olim in terra apparuit, nunc autem in coelo regnat (sic enim confugiendum erat ad Jesum Bethlehemi natum, in Golgathæ crucem actum, immanentia speculativa jam antiquatum); sed ea est, quæ per conscientias singulares existentiam sibi paret, ita ut, cum nihil in se esse velit, sed omnia per singulos habere, quærat etiam, ut singuli nihil in ipsis sint, sed missa subjectivitate in se revertantur. Efformatio hujus conscientiæ universalis per singulas conscientias, operatio historica, qua fit, ut ratio inter genus humanum et singulos homines discreta magis magisque tollatur, est spiritus; non ille tamen, qui ut tertium Ego vitam patris filiique conjungens, et negativitatem Dei intra terminos vitæ divinæ immanentem referens, singulis conscientiis concedit negativum sui, veram idealitatem ɔ: vitam æternam in se habere, ut idealitas et realitas ubivis congruant; sed est iste spiritus, qui cum omnes præteritorum temporum thesauros ideales realitati præsenti (Öieblikkets Virkelighed) largiatur, ingenue declarat, existentiam suam hac idealitatis et realitatis immanentia niti. Momentanea autem realitas, per singulas conscientias diffusa, jam in se alterata apparet; determinatur igitur spiritus objectivus per multitudinem animorum sibi consciorum. Animus enim humanus, quatenus realiter existit,

alios extra se positos habet, ita ut in summa eorum nulla sit idealitas; quatenus autem a parte ideali spectantur, alter alterius vitam in se recipit. Solitaria igitur conscientia sui realis spiritualem aliorum animorum plenitudinem percipit. In singulis igitur immanentia idealitatis et realitatis quærenda est. Sed ea immanentia semper in discrepantiam transit; mens enim quatenus realiter existens cogitat, immanentiam habet; quatenus autem cogitans realiter existit, redit discrepantia. Nam quæ conscientiæ reali inest idealitas, ad tempus modo ei concredita est, agnoscit quidem mens cogitans, eam idealitatis plenitudinem esse infinitam, nunquam vero eam exhauriet. Cum enim conscientia sui realis, quæ negationem, ut dicunt, extra se non in se habet, interitura sit: idealitas aliam conscientiam sui realem quærens, identitatem sui servare conatur. Cum vero cujusvis conscientiæ realis eadem sors sit, ad intimum hujus spiritus recessùm contradictio et repugnantia penetrat. Conscientia enim realis semper est organon, sine quo spiritus existere non potest, alterationi autem infinitæ exposita spiritum nunqnam capiet; sed ratio incommensurabilis in æternum manebit.

Quæ cum ita sint, non amplius confundi poterit trinitas panlogistica cum trinitate ecclesiastica. Non hic Deus est pater noster, ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν, sed Deus temulentus, qui cum cogitationes dispersas colligere nequeat, inter disjecta existentiæ fragmenta furibundus titubat; neque filius est æternus ille, qui gloriam apud patrem ante mundum conditum se habuisse declarat; sed iste filius, quem pater, cum idealitatis et realitatis contradictione pungeretur, genuit, spem patris existentiam captan-

tis frustrat, nuditatem idealitatis ejus abstractæ irridet atque ideo maledictionem sibi contrahit. Novimus hunc spiritum, qui a tali patre filioque emittitur; mundanus est, qui σκάνδαλον patris et filii ubivis prodit. Immanentia ejus est contradictio et reconciliatio horrenda. Omnes ego, inquit, lacrimas abstergo et dolores sedo. Qui enim dolore corripitur, positivam vitæ realitatem, cui funditus contradicatur, habeat necesse est; si autem vita prorsus negaretur et negativum sui modo extra se haberet, subito mors accederet, nec ullus dolor esset; vita igitur dolens funditus dissecta sui similis manet, atque ita servatur identitas. Dolor est intima existentiæ humanæ radix; quando enim omnes vires homo colligit, ut summa perspicuitate naturam suam intueatur, tum idealitas et realitas in ea concurrunt, vera est earum identitas, nam efficit vitam ipsam; sed fundamentalis etiam, ut vidimus, contradictio, atque hinc vitæ dissolutio et dolor. Quod si amor vitæ te nimis trahit, peccatum est; sed amor vitæ timorem mortis gignit, atque hæc poena est; quare si utrinque vexaris, ne dubites, peccatum et poenam se invicem penetrare inque hoc dolore esse ipsam reconciliationem. Dolor est perfectissima contradictionis atque identitatis immanentia, est ipse æternus æternæ vitæ stimulus et sanctissimum Dei mysterium; dolor est beatitudo; — cachinnum Diaboli novimus. Audit conscientia sui humana et perhorrescit, quo enim attentius elementa hujus regni aspicit, eo subtilius dignoscitur contradictio doloris millies per singulas partes recurrens. Cum vero in hoc tenebrarum orco hymnos ecclesiæ Christum suum, cruci quidem affixum, sed e mortuis excitatum atque ad dextram

patris elevatum audiat, surgit ceu homo, cum ex somniorum terroribus expergefactus lucem diei salutat; quod eum trahit, non egoismus est prudenter sua curans, sed potestas objectiva, cui totum se tradere gestiat, verum veri Dei desiderium, neque amplius coeca affectione abripitur, acerbissimum contradictionis dialecticæ dolorem expertus. Abi Satana, sacrorum negator; negatio negationis accedat!

§ 22.

„Lad hvisle kun i Ormegaard,
At nu jeg er lagt öde;
Jeg kroner ligefuldt mit Aar
Med Frugtbarhed og Gröde;
Ja! op jeg staaer som Ax i Vang,
Som Mai i Bögeskove,
Og prægtig under Fuglesang,
Som Gylden-Sol af Vove.“ 1)

Quod sic poeta de fide christiana per diversas temporum vicissitudines victoriam reportante cecinit, non vitam solum ecclesiasticam, verum etiam scientiam personat. Duplex motus rationis humanæ observari potest: motus, inquam, a Deo in mundum et semetipsam, atque a semetipsa et mundo in Deum. Tuta et tranquilla via hic transitus in nostro rerum ordine fieri vix poterit. Ratio tamen, licet a veritate Christi se prorsus avertere sæpe videatur, ubi ea, quæ hanc abalienationem seqvuntur, satis gustaverit: rursus eam defectionis poenitet. Panlogismus habenda

---

1) Grundtvig: Den christelige Troe.

est profundissima intelligentia sui, quam ratio abstracta assequi possit. Neque hac in re vituperari poterit, quasi ad vitam positivam reverti nollet, sed quanam via revertatur, quæstio est. *Ego* humanum, nisi esset positiva rerum natura, quæ negari posset, ad notiones logicas efformandas nunquam perveniret. Inde autem sequitur, ut systema notionum formale, realitate positiva ubique destitutum ejusque adeo desiderio ubivis impletum efficiatur. Hoc etiam satis agnoscit Panlogismus. Cum vero eam idealitatem ad auctoritatem evehat divinam, cum impotentiam ejus omnipotentiam esse credat: *πρῶτον ψεῦδος* apparet. Ea enim idealitas nihil aliud est, nisi ipsa rationis humanæ facies. Vitium tamen non tam in eo quærendum est, quod identitatem rationis divinæ et humanæ esse volunt, quam in eo potius, quod sic immediatam utriusque immanentiam statuunt. Nam identitas, quæ nulla diversitate nititur, testante logica speculativa, vilissima est, et confusio rationis divinæ et humanæ, teste ecclesia, verum Rationalismi criterium[1]).

Habet Panlogismus falsum Deum, quare si in se persistit, *ἄλογος* est, sed veram logicam, quare modo ad Christum confugiat, Deum vere logicæ naturæ inveniet. Profitetur ipse Panlogismus per gravissimas contradictiones ad immanentiam penetrari oportere; sed momenta ejus opposita nimis levia sunt; quare cum satis perspexerit, nihil in fine manifestari posse, nisi quod in principio revera fuerit, agnoscere cogitur, discrepantiam, quæ in

1) Quem Rationalismum et Formalismum quam fortiter et strenue impugnaverit J. H. Fichtius, notissimum est.

hoc mundo nostro inter momentum idealitatis et realitatis appareat, fundamentum et rationem sui habere immanentiam utriusque ab æterno inde mediatum ɔ: rationem divinam, non creatam, quæ ab humana nostra *qualitative*, ut dicunt, differat. Agnita autem absoluta Dei libertate, tota ratio, quæ est inter momenta positiva et categorias logicas invertitur; positivam Dei vim esse intelligimus, quæ omnem existentiam realem fundaverit atque adeo formas ontologicas iis rebus immanentes constituerit. Tradimur ita toti realis vitæ plenitudini, ubi omnes species observandæ sunt, quales se nobis offerunt, redit fidei atque intuitionis momentum. Oculos igitur convertimus in nostrum hominum coetum, ubi idea personalitatis æternæ illuxit, respicimus divinum hujus coetus auctorem, qui prodiit consummato tempore, cum lex Judæis data conscientiam peccati satis efformasset, agnoscimus Deum hac revelationis via apparuisse triunum et reliqua omnia. Absurdissimum est velle nonnulla horum elementorum in dubium vocare, ut aliorum ope ad necessitatem ejus, quod dubium est, dialecticam deducamur; nam si hoc vel illud momentum in dubium revera vocatur, semper alia possitiva, quibus cohæret, ita cogitantur, ut illius dubium in horum notione lateat. Ita cum Deista solivagam Dei notionem habeat, ad apparitionem Christi provocare non juvat. Itaque theologiæ non comprobandum est, ex notione Dei triuni sequi, ut Christus juxta necessitatem dialecticam hoc vel illo loco apparuerit; sed cum semel apparuerit, comprehendendum est, quomodo hoc positivum apparitionis phænomenon cum aliis phænomenis positivis cohæreat; est ea apparitio quasi cogitatio realis, quæ cum

aliis cogitationibus reconciliari debeat. Quare conditio comprehendendi maxime necessaria est fides plenissima; et tantum abest, ut ex ea fidei totalitate scientia detrimentum capiat, ut ejus demum ope necessitas dialectica et negatio omnia systematis elementa penetrare possit. Atque ita, quemadmodum logica abstracta in elementa positiva transit, nunc elementa positiva in metaphysicam concretam et empiriam speculativam transeat, necesse est. Ubi res rei externo modo additur, actum est cum scientia; itaque in proverbium fere abiit, omnem philosophiam a dubitando incipere, malim tamen a negando dicatur; dubitatio[1]) enim fidei repugnat, negationis autem atque abstractionis innocentiam jam antea defendimus. Ut igitur momentum objectivitatis positivæ per fidem absolute prævalet, ita per negationem redit absoluta subjectivitatis libertas, nam omnia momenta ita neganda sunt et exploranda[2]), ut ne unum quidem phænomenon intactum relinqvatur. Quod logica Hegelii laudatur, quod sit subtilissima, quia negatio et contradictio fundamentalis calcar dialecticum acuit, idem in dogmatica quoque scientiæ recurrit, modo recta via ingrediamur.

Multo major est momentorum sibi oppositorum profunditas in dogmatica Christiana quam in Panlogismo,

---

1) Simulatam quoque esse eam dubitandi rationem philosophi jam agnoverunt. Ita I. L. Heiberg: Al sand Pilosophie maa forene begge de af Hr. Martensen anförte Valgsprog: Gudsfrygten maa den have i sit Hjerte, Tvivlen i sit Öie. Perseus Nr. 1. p. 41.

2) Quam explorationem Sibbern noster vocare solet: En altomfattende Debat af Alt imod Alt.

ideoque veram identitatem et reconciliationem habet. Cum enim Panlogismus, quo ad immanentiam perveniret, existentiam in duas partes abstractas divideret, ad identitatem pervenire non poterat; dogmatica autem Christiana oppositionem absolutam indicat inter Deum vere triunum in se perfectum et mundum creatum; sed per eam contradictionem fundamentalem contingit reconciliatio inter pacem æternitatis et temporum certamina; cum qui nodi hic intricantur, illic jam in principio ipso sint expediti.

Panlogismus, quo idearum omnium societas et æqualitas efficiatur, singulas conscientias sui vult immolatas, ideoque in sempiterna realitis atque idealitatis discrepantia versatur; dogmatica autem Christiana internam atque infinitam immanentiam sui singulis conscientiis tribuit, ut licet *ad extra* (ὁ ἔξω ἄνθρωπος) moriantur, *ad intra* tamen (ὁ ἔσω ἄνθρωπος) sibi in æternum constent. Cum vero ita omnes velut atomistice dijungat, profundissimam peccati naturam exponat, rationem inter Deum et homines discretam atque ethicam firmissime teneat, tum etiam ad veram omnium horum immanentiam penetrat; efformat enim profundissimam libertatis, poenitentiæ, amoris notionem.

Panlogismus cum ea, quæ Christo suo tribuit ecclesia, toti generi humano tributa velit, internæ atque infinitæ plenitudinis, quæ ad conscientiam sui humanam pertinet, ab altera parte, et rationis reciprocæ, quæ est inter Christum et Spiritum Sanctum ab altera oblitus, momenta realiter opposita misere confundit, ipse confusus. Dogmatica autem Christiana cum perfectissimam atque absolutam Dei et hominis identitatem Christo suo tribuat,

tantum abest, ut inde disturbetur idearum æqualitas et identitas omnium, ut cum corporis membra capiti organice adhæreant, totalitas vitæ per unum ad omnes perveniat. Panlogismus denique cum mediationis orationem semper in ore ferat, veram atque realem systematis cosmici, ut ita dicam, mediationem ignorans, totam progrediendi rationem semper reapse eandem fuisse, quasi ea relatio inter mundum et Deum, inter naturam et spiritum subjectivum, cui nostra ætas adstricta sit, vere esset sempiterna, cum tamen simul promittat, venturum esse tempus, quo spiritus et natura se mutuo infinite penetrent. Dogmatica autem Christiana licet ex vera identitate voluntatis divinæ et naturæ legum metaphysica egrediatur, mediationem objectivam ita docet, ut, cum natura spiritus subjectivi fundamentum efficiat, Deus etiam objectivis naturæ formis ideas suas adstringat; cumque per peccatum obscurata esset conscientia sui humana, et momentum mundanum atque profanum ratione solivaga efformatum singulari etiam modo naturam præsentia sua illustret, ut realissima gubernationis universalis et revelationis supranaturalis diversitas ad extra vergat; atque ita verissima Dei accommodatio ad diversa temporum hominumque ingenia ostendatur.

Ratio humana non fugit has oppositiones reales et contradictiones fundamentales; agnoscit enim, eas omnes ad se pertinere. Quemadmodum regenerati hominis, licet absoluta vitæ transformatio intercesserit, idem *Ego* manet, ita momenta opposita, quæ rationem penetrant atque, ut ita dicam, dissecant, tantum abest, ut identitatem ejus tollant, ut, quo magis in eas immergatur, easque suas faciat, eo melius contradictionem doloris superet et re-

conciliationem assequatur; elucet ita, rationem creatam realiter definiri et comprehendi per non creatam, atque ita per absolutam oppositionem mediante momenta supranaturalia et naturalia; quid? quod omnis historia sacra ɔ: omnis discrepantia inter pragmaticum rerum ordinem et miracula eo spectat, ut ea invicem reconcilientur.

§ 23.

Itaque historiæ sacræ eadem fortuna est atque revelationis; revelatio autem pendet a realitate miraculi, miraculum vero per *mediationem* rerum cosmicam explicatur. Disputatio enim de realitate miraculi non eo spectat, ut explicetur, quomodo Dei voluntas in naturam influat; nam realis nexus est inter efficaciam divinam et vires naturæ (— quid? quod nos ipsi quotiescunque manum aut pedem movemus, ostendimus, quomodo cogitatio in corpus influat —), sed respicit, ut jam observavimus, discrepantiam, quæ est inter concilia divina et leges naturæ, immediate solvendam.

Videntur ita miracula omnia esse absurda, quia Deus semper mediate atque immediate ubivis operatur, non autem magis sufficit ea relationis metaphysicæ commemoratio, quam si quis notionem libertatis humanæ inde explicare sibi videretur, quod observaret, Deum omnia in homine efficere et hominem tamen ipsum operari. Omnes ejusmodi relationes in discrepantiam temporis transeant, necesse est. Atque ita nulla de rebus divinis et humanis meditatio profundior institui potest, nisi ut miraculo locus aliquis concedatur.

Deismus, qui naturalem rerum ordinem maxime urget,

ad unum tamen miraculum, cui omnis pragmatismus adstringatur, provocare cogitur, miraculum puta creationis. Valet idem de Panlogismo; licet enim illusionem relationum Christianarum detexerit, ut non amplius nobis præsentiam Dei indicent, concedit tamen non aliter ad eum intelligentiæ statum, qva ætas nostra excellat, spiritum objectivum pervenire potuisse. In iis igitur immediate inerat, qvod in philosophia mediate exponitur, et distinctio redit inter res vulgares et phænomena revelationis. Efformatio igitur rerum omnium eo qvidem spectat, ut natura et spiritus omnibus locis se invicem penetrent, ut ea, qvæ sunt *mediate* et *immediate*, ubivis concidant; sed ea harmonia, qvo revera contingat, qværit, ut elementa antea dissipentur, ut cum nonnullis locis natura per se operetur, et spiritus per se agat, ab altera parte propter hanc discrepantiam aliis locis se invicem immediate permeent[1]).

Miracula igitur, si per se spectantur, absurda apparent; sed causa est, qvod immediatum semper est mediati

---

1) Exemplum ejusmodi relationis mediatæ et immediatæ offert ipsa vita qvotidiana: natura enim externa magis magisque a spiritu humano transformatur, sed *mediate*. Scite igitur Straussius: .... „sie (die Menschheit) ist der Wunderthäter: sofern im Verlauf der Menschengeschichte der Geist sich immer vollständiger der Natur, im Menschen wie ausser demselben, bemächtigt, diese ihm gegenüber zum machtlosen Material seiner Thätigkeit heruntergesetzt wird. l. l. Schlussabhandl. § 149 p. 767.

Verum ea mediata efficacia adstricta est immediatæ et reali nexui, qvi est inter animum cogitantem et corpus, qvod si is nexus mythicus esset, in mythos qvoqve mutarentur omnes de operibus hujusmodi relationes.

negatio, eâque definitur; sin autem in universali eorum, qvæ præcesserint et seqvantur, luce dijudicantur, logica sunt, ut comprehendi possint. Qvare miraculum dici potest anticipatio relationis ejus, qvæ inter naturam creatam jam metaphysice intercedere et olim apparituram esse, docet spiritus religiosus. Quare qui Deus in miraculo, idem in mente. Miraculum igitur (de eo dicimus, quod in unaquaque religione gravissimum est) ipsam religionis radicem continet; offert momentum intuitionis individuale, ejus essentiam internam spiritus religionis magis magisque explanat. Cum vero miraculum efficiat ipsum spiritus argumentum, profecto inde sequitur, ut quando de realitate miraculi dubium exoriatur, vacillet spiritus religiosus, et detecta miraculi falsitate, evanescat, potentiori, qui meliore realitate medietur, succumbens. Cum igitur Christum historicum spiritus panlogisticus non ferat[1]), causa est, quod per Christum non est mediatus. Quod si tres gravissimas ejus objectiones respexerimus, luculenter apparet. Primum enim negat, individualem conjunctionem Dei et hominis esse posse, quia internam conscientiæ singularis plenitudinem ignorat, causam vero hujus ignorantiæ jam antea indicavimus. Deinde observat, ab ingenio ideæ discrepare organon singulare præ ceteris ditare et elevare, ita autem reale mediationis momentum vilipendit. (cfr. § 22.). Cum denique objiciatur, Christum, ut phænomenon individuale nihil esse, nisi quod in ipsa existentia ejus phænomenali appareat[2]), tum observandum

1) Cfr. Strauss l. l. p. 766.

2) Allein, wie Schmid gründlich nachgewiesen hat, ein geschichtliches Individuum ist eben nur das, was von

est, existentiam a sola parte sensuali spectari non posse; nam tum eveniret contradictio, sensuale non esse spirituale; si vero ita intelligitur, ut nihil phænomeno insit, nisi quod ejus negatione elici possit, tum quæritur spiritualis interpretatio. Quousque autem extendetur ea? quis doceat nisi spiritus ipse; ita vero accedit conjunctio intima inter Christum et Spiritum Sanctum. Quod Christo inerat *implicite*, *explicite* Spiritus proponit. Nisi infinita divinitatis plenitudo (πᾶν το πλήρωμα τῆς θεότητος) Christo apparenti infuisset, non personalitatis æternæ ideam ecclesiæ spiritus attulisset. Quare Christus nunquam dicit, Spiritum Sanctum ex proprio arbitrio olim progressurum esse, seque docturum fuisse individuum temporis momento subjectum; sed Spiritum a patre suo nomine venturum promittens quid dicit? *Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. Οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ᾽ ἑαυτȢ, ἀλλ᾽ ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τȢ ἐμȢ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐςι. Διὰ τȢτο εἶπον, ὅτι ἐκ τȢ ἐμȢ λαμβάνει, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.* (Joh. 16, 13—15). Duo igitur sunt miracula religionis Christianæ fundamentalia, *incarnationis* et *inspirationis*.

---

ihm erscheint, sein inneres Wesen wird in seinen Reden und Handlungen erkannt, zu seiner Eigenthümlichkeit gehört die Bedingtheit durch Zeit- und Volksverhältnisse mit, und was hinter dieser Erscheinung als An sich zurückliegt, ist nicht das Wesen dieses Individuums, sondern die algemeine menschliche Natur überhaupt, welche in den Einzelnen durch Individualitet, Zeit und Umstände beschränckt, zur Wirklichkeit kommt. Strauss l. l. p. 749.

Cum circum Christum discipuli primum congregarentur, tum sane jam spiritus tacite eos trahebat, sed ita ut ex ipsa Salvatoris persona immediate eluceret; quare Phillippus Nathanaelem, de Messia Nazarethano hæsitantem, scite exhortatur: Ἔρχε καὶ ἴδε. (Joh. 1, 47).

Cum vero apostoli Christo aspiciendo et audiendo satis eruditi, mortem ejus vidissent, cum post resurrectionem illustratus, velut in confinio utriusque regni et coelestis et terrestris, constitisset, veram individualitatis atque universalitatis identitatem præ se ferens, cum denique elevatus in coelum eos aliquamdiu meditationibus suis, spe Paracleti addita, reliquisset: tum sane mediatum erat, quod immediate apparuit, miraculosa spiritus emissio.

Negatum erat externum Christi phænomenon, et Interpres, qui etiamtum in animis latebat, subito in plenam conscientiæ lucem prodiit. Quare ut præclarus fuerat Christus in mundo externo, ita jam præclarissimus in regno animorum interno. Ea relatio inter immediatam Christi præsentiam et efficaciam Spiritus, ab eo missi, singulare ætatis apostolicæ ingenium constituit. Respicienti igitur totam Christi vitam mox apparebit ratio illa reciproca. Quemadmodum enim vita ejus publica propius ad phænomenalem historiæ realitatem accedit, ita ut momentum intuitionis prævaleat, sequente spiritus explicatione: sic gloria ejus apud patrem proxime apparet meditanti spiritui, terrestri ejus vita edocto. Introitus autem in mundum atque exitus e mundo species revelationis exhibet, quæ inter realitatem phænomenalem et idealitatem spiritualem pro rei natura vacillant; quare qui Spiritui fidem non habet, historiam mutilat.

Ita vero apparet, ipsam mundi reconciliationem ad sacram Christi historiam, recte explanatam, referri oportere. Reconciliatio enim ita facta est, ut Christus, cum gravissimas vitæ oppositiones subiisset, victor discederet. Quare quemadmodum homo naturalis in hunc mundum sic ingreditur, ut tenebræ a tergo sint, et ille unde venerit, nesciat, atque etiam omnes vitæ et mortis contradictiones misere experitur, cum ignoret, quo abeat: ita Christus (ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωή) prodit ex regione lucis æternæ, divina animi constantia præsentiam Dei in mundo doloris manifestat, perque mortis tenebras ad regnum gloriæ revertitur. (Ἐξῆλθον παρὰ τȣ̃ πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον· πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον, καὶ πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα). Itaque non singulis solum hominibus viam monstrat, sed etiam veram totius mundi historiam revelat.

Sed ut miraculum inspirationis per individualem Christum mediatum est; ita ætas quoque apostolica sequentem ecclesiæ efformationem parat.

Ab altera enim parte fixam atque immobilem Christi imaginem depingit, atque ita quemvis seculorum futurorum hominem, qui Christum videre desideret, scripturâ sacrâ invitat: Ἔρχȣ καὶ ἴδε. Ab altera vero parte transiit in aliam ecclesiæ formam. Omnes enim ecclesiæ institutiones eo spectant, ut magis magisque efformetur idea libertatis, ut animus humanus in se reflexus, per agnitionem naturæ suæ Deum quærat, inveniat, funditusque percipiat. Tantum igitur abest, ut, quod nostro tempore miracula non fiant, suspicemur ætate apostolica non facta esse: ut vice versa propter miracula illius ætatis intelli[illegible]mus, cur nostrâ nulla fiant.

Omnes, quæ in ecclesia se invicem excipiunt, fluctuationes inter realem objectivitatem et abstractam idealitatem, efficiunt, ut reconciliatio utriusque momenti, comprehensionis, inquam, et intuitionis, profundior indies fiat. Quare cum aliquamdiu hoc prævaluerit, illud emerget, et rursus moderabitur.

Ratio enim progrediendi semper ea est, ut per phænomena vitæ neganda efformetur spiritus; per spiritum vero explicentur omnes res in facto positæ; ut, qualis sit spiritus, talis phænomenorum interpretatio. Itaque semper audienda est illa admonitio apostolica: Ἀγαπητοὶ, μὴ παντὶ πνεύματι πιςεύετε, ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, εἰ ἐκ τȣ̃ Θεȣ̃ ἐστιν. Exploratur autem spiritus per spiritum, cum verum sit index sui et falsi, atque ita ex hac exploratione victoriam semper reportabit spiritus libertatis et personalitatis absolutæ. Ita autem apparebit, principium historiæ sacræ esse accommodationem Dei realissimam. Deus ab æterno inde libertatis absolutæ sibi conscius, consilia de libertate et personalitate humana efformanda cepit, quare quæ homines pro divinis auxiliis hac ex parte spectandis non possunt non habere, revera etiam ad consilia divina pertinuisse putanda sunt. Quare si in hac accommodationis luce phænomena sacra spectantur, profundissimam realitatem sibi vindicant. Phænomena enim ejusmodi, si per se considerantur, semper ita comparata sunt, ut nec hujus nec illius vitæ res satis exprimant. Quatenus enim res supranaturales revelantur, phænomenis empiriæ nostræ subjectis exprimendæ sunt, habitu igitur induuntur naturæ suæ parum congruo; licet autem ad regionem nostram descendant, phænomena tamen quo ab aliis et qvidem

vulgaribus dignoscantur, illustranda sunt, ut essentiæ descensus sit simul phænomeni ascensus. Quæ cum ita sint, in phænomenis revelationis semper momentum illusionis insit, necesse est. Omnis igitur phænomenorum sacrorum realitas ex singulari Dei cura pendet. Quando homines phænomenon singulare et mirabile (τὸ τέρας) aspiciunt: Deum iis præsentiam suam indicare velle concludunt (τὸ σημεῖον); quæ conclusio si falsa est, nihil efficit phænomenon vel præclarissimum, sin autem sibi constat, nihil nocet ambigua phænomeni natura. Vis enim Dei supranaturalis singularem phænomeno notam imprimit; causa autem cur essentiam ipsam non satis exprimit, ea est quod ad captum hominum se accommodat. Ita nihil refert, utrum Gabriel angelus uno ictu Mariæ apparuerit, an quæ primum in intimo mentis adyto virgo senserit, postea instituente spiritu Dei, plena demum perspicuitate sit intuita. Gabriel enim, cum natura sua sit invisibilis, jubente Deo visibilis fit, ut conceptio Christi supranaturalis nobis ante oculos proponatur. Gabriel est modo Dei minister. Pari modo de nube illa, in qua Christus abiisse dicitur, disputandum est. Effecit nubes illa visibilem ab hac in coelestem regionem transitum, nubes igitur et fuit et non fuit; quare hac ex parte nihil interest, utrum Deus miraculum hoc fecerit, ut in externo rerum ordine transformatio illa appareret, an spiritus Dei phænomenon apostolis meditantibus ita depinxerit, modo Deus verax nec falsus spiritus fuerit. Quæ cum ita sint, intelligimus, hac ex parte disputari posse de phænomenorum origine atque efformatione, et fidem tamen de plena eorum realitate firmissimam servari. Ea autem disputatio ab arbitrio nostro non pendet; sed ut accom-

modatio realissima ad *intra*, ita empiria vulgaris *ad extra* in censum venit. Efficaciam Dei objectivam urgebat ecclesia antiquior; sed ita libertati humanæ non satis consuluit. Inspirationis enim miraculum per sensualismum quendam explicabatur, ut spiritus sanctus res gestas non tam interpretaretur, quam earum potius memoriam confirmaret; quemadmodum igitur spiritus ille propriam apostolorum efficaciam deprimebat, ita fides quoque ecclesiastica servitutem rationis quærebat.

Revelationem autem non tam servili ratione factam esse, Criticismus docuit. Ut enim relatio inter Deum et homines per moralem demum virium intentionem vera contingit, ita inspiratio animos apostolorum sic liberavit, ut judicium de rebus gestis liberius ferrent. Tantum vero abest, ut hæc multorum historiæ sacræ momentorum discrepantia veritatem revelationis imminuat, ut eandem confirmet. Nisi enim Christus se adeo exinanlisset, ut ad regnum empiriæ vulgaris ɔ: ad fragilitatem existentiæ nostræ descenderet, non verus fuisset *υἱός τȣ̃ ἀνθρώπȣ*, sed in nubibus כְּבַר אֱנָשׁ substitisset, et *δοκετίσμος* commendaretur. Cum vero in regno phænomenorum prodiissit, tum quoque eam spiritus libertatem provocavit, ut empiriæ fragmenta minus disposita in perspicuam ipsius ideæ totalitatem revocaret. Atque hic valet, quod sæpius observatur, discrepantiam in accidentalibus concordiam in essentialibus confirmare, ut non poëmatis artificium sed apparitionis realitatem habeamus. Quemadmodum vero hac ratione spiritus sanctus libertatem formandi sibi vindicavit, ut ei non minus quam filio honorem divinum tribuamus, ita eam quoque apostolis atque ætati apostolicæ libertatem

concessit, ut non iisdem verbis eandem veritatem exponerent. Regeneravit quidem apostolos, non autem eos ita sanctificavit, ut omnis imbecillitas subito tolleretur; illustravit quidem animos eorum non autem ita, ut omnem subjectivitatis labem funditus removeret; quare phænomenorum descriptio a profundissima veritatis divinæ realitate ad momenta subjectiva usque extenditur, ut termini externo modo constitui non possint.

Quæ autem juxta libertatis oeconomiam revelata et tradita sunt, nisi methodo libertatis inventa, percipi non possunt. Quare cum ecclesia antiquior et Criticismus per phænomena ideam supranaturalem captarent: analogia utentes, semper ita concludebant, ut singula momenta premerent. Itaque cum fides antiqua concordiam relationum verbalem urgeret, Criticismus, discrepantia detecta, semper magis magisque de miraculis in universum dubitabat: *si minora miracula sibi minus constant, graviora quomodo sibi constabunt?* Iste autem positivismus et probabilismus omnino abrogatur, cum negatione phænomenorum suscepta ad ipsam ideam penetraverimus: miracula etiam fundamentalia firmissime tenemus, ut momenta specialiora in luce eorum conspiciantur. Restauratio igitur phænomeni Christi ita fieri debet, ut singula, quæ de ejus vita traduntur, suum locum obtineant, prout incarnationis ideam suo quodque modo manifestent.

Pervenimus igitur ad ecclesiasticam Christi imaginem, sed ita ut singulis lineamentis analysi subjectis, eundem Christum, quem ecclesia in externo empiriæ vulgaris regno spectare sibi videretur, non extra speculum spiritus esse aspiciendum, intelligamus.

Desiit quidem inspiratio; sed manet Spiritus Sanctus, cum spiritu mundano per omnes rerum vicissitudines fortiter luctans, idemque, quotiescunque violatur historia sacra, divinam Christi personam ecclesiæ restituit, defendit, illustrat; immo illustraturus est, usque dum momentum comprehensionis atque intuitionis se prorsus penetraverint, usque dum vox ipsius Christi omnes piorum animos ἐν τῇ παρουσίᾳ personuerit: Ἔρχεσθε καὶ ἴδετε.

Conclusio.

Quæ si recte disputata sunt, facile commendari poterit speculativa historiæ sacræ tractandæ methodus.

Cum enim agnoscat, rationem objectivam, nisi per sedulas rerum in facto positarum observationes, comprehendi non posse, omnibus eruditorum virorum thesauris delectatur, nec ullas disquisitiones criticas non respicit, atque ita positivum ingenium servat. Cum vero ab altera parte scientiæ apparatus ab ipsa scientia accurate distingvat, omnes meditationes philosophicas accuratissime persequitur theologia speculativa, non quasi in hoc vel illud systema juraret, sed ut, omnibus funditus exploratis, philosophiæ abstractæ magistra, rationi non creatæ creatam subjiciat, atque ex ea utriusque reconciliatione phænomena religionis interpretetur. Neque enim novatores gignit, cum nihil magis quærat, quam ut omnia antiquiorum systematum momenta vera diligentissime eruat. Quod autem omnium maxime urget, verus est transitus ab al-

tera in alteram cognitionis regionem, nexusque rerum internus via dialectica detegendus; atque ita omnem elementorum diversorum compositionem, omnes eclecticismi artes, omnem denique mediocritatem evitat.

Errata graviora.

Conspectus:	Lin.	4		τό — τό	lege:	τὸ — τὸ
Pag.	7	—	9 inf.	ἒν	—	ἓν
—	10	—	13 sup.	non possit	—	possit
—	11	—	1 —	ad	—	a
—	—	—	1 inf.	etal	—	et al.
—	19	—	1 sup.	empericis	—	empiricis
—	31	—	7 —	θεὸς	—	θεος
—	43	—	15 —	etiam ; a	—	etiam a
—	54	—	12 —	disquisitio ;	—	disquisitio,
—	—	—	13 —	judicium,	—	judicium ;
—	58	—	5 inf.	einem	—	einer
—	61	—	1 —	hinschläft	—	einschläft
—	69	—	8 sup.	ὑπόςαοις	—	ὑπόστασις
—	—	—	17 —	Vorrede	—	Luth. Vorrede
—	90	—	14 —	omnia	—	omina
—	91	—	5 —	promovendam	—	promovendum
—	114	—	6 —	Verständigen	—	verständigen
—	—	—	6 —	æsthetishe	—	ästhetischen
—	118	—	7 inf.	extat	—	non extat
—	119	—	2 —	ipseque	—	ipsique
—	119	—	10 —	substitura	—	substitutura
—	120	—	11 —	coque	—	eique
—	121	—	2 sup.	poterat	—	poterat nec coli
—	126	—	3 -	ab hominibus	—	hominibus
—	128	—	6 inf.	negatur	—	negetur
—	135	—	1 sup.	elevatum	—	elevatum celebrantis
—	137	—	9 inf.	quibus cohæret	—	quibuscum cohæreat.
—	151	—	8 sup.	παρουσιά	—	παρουσίᾳ.